HAGIOGLYPTA

SIVE PICTURÆ

ET

SCULPTURÆ SACRÆ ANTIQUIORES

PRÆSERTIM QUÆ ROMÆ REPERIUNTUR

EXPLICATÆ

A JOANNE L'HEUREUX

(MACARIO).

LUTETIÆ PARISIORUM.

J. A. TOULOUSE, VIA DES NOYERS, 66.

MDCCCLVI.

HAGIOGLYPTA.

Parisiis. — Excudebant Firmin Didot fratres, via Jacob, 56.

HAGIOGLYPTA

SIVE PICTURÆ

ET

SCULPTURÆ SACRÆ ANTIQUIORES

PRÆSERTIM QUÆ ROMÆ REPERIUNTUR

EXPLICATÆ

A JOANNE L'HEUREUX

(MACARIO).

LUTETIÆ PARISIORUM.

J. A. TOULOUSE, VIA DES NOYERS, 66.

MDCCCLVI.

PRÆFATIO EDITORIS.

Joannem Macarium de picturis et sculpturis veterum christianorum disserentem pluribus de causis edendum suscepi, sed ea potissimum ut ducem aptum et expertum præberem. Existimavi etiam viris doctis fore gratissimum, et iis qui horum studiorum primas origines scrutantur, si invulgaretur hoc opus, quod intelligebam sub oculis Cæsaris Baronii, Alphonsi Ciacconii, Friderici Borromæi provectum; magnam deinde auctoritatem, ex sententia Heriberti Rosweydi et Auberti Miræi, apud viros doctissimos esse consecutum.

Quis hic fuerit Johannes Macarius, quæque scripta reliquerit, dixerunt Valerius Andreas Desselius, Antonius Sanderus, Franciscus Sweertius in suis *Bibliothecis belgicis*. Aliquid etiam exposuit Miræus in scholiis ad c. XXI Catalogi S. Hieronymi; sed ceteris plenius, qui recentior Le Glay, in *Analectis Novis* (*Nouveaux analectes*, p. 79 sqq., ed. Paris. 1852). Addo Justum

Fontaninium qui, in *Disci argentei votivi* præfatione (p. XIV) aliqua de Macario narrans, magnificis eum fert laudibus. Exstat epitaphium Macarii senariis versibus scriptum, in quo cum plura reperiantur sitque lectu jucundum et pietatem auctoris spiret, mihi non omittendum putavi (affert Le Glay, l. c.).

Janus Macarius gallice *Heureux* dixeris,
Beaurainitide genitrice, patre cognomine;
Gravelingæ in oras sum editus luminis.
Puerum polivit Belga, Leopardo auspice,
Graiæ latinæque artibus facundiæ;
Sophiæque scitis imbuit Lovanium.
Annis Quirites bis decem amplius, mea
Industria docentis usi, hanc gratiam
Habuere, ut precibus virorum principum,
Quibus placueram et scripta placuerant mea,
Detulerit ultro pensionem Pontifex
Isthac in æde, quam canonicatum vocant.
Bis sena vixi lustra plus trieride,
Undecimam vitam Junii lux abstulit
MDCXIIII.
Tibi Christe laudi vertat omne quod sumus,
Quod fuimus, et quod erimus ævo in altero.

Inter opera quæ Macarius manuscripta reliquit fuerunt Hagioglypta, quem librum ipse voluit aliquando edere in lucem : quam ob causam anno 1605 a censore Francisco Luca facultatem impetrarat. Constat id

ex pagina extrema hujus codicis in qua subscriptum legitur : « Potest evulgari. Actum Audomaropoli, 22 junii 1605, censore Francisco Luca ; » verum qui postea factum sit ut omiserit, nescio. Paucis annis post ejus mortem Heribertus Rosweydus eo libro usus est, laudatque in *Notis ad Paulinum* quas vulgavit anno 1622. Hunc in locum ego incidi cum adnotationes in Macarium adornarem, utererque editione Paulini Muratoriana (p. 908; cf. Le Glay l. c.). Post Rosweydum Joannes Jacobus Chiffletius ex Macarii ms. quædam excerpsit in *Crisi historica de Linteis sepulcralibus Domini* (cap. XXVIII), cum ageret de picturis quæ Lazarum exhibent fasciis involutum, et in *Anastasi* (c. VIII), ubi citat quæ disputat hic Macarius de usu monogrammatum in musivis Ecclesiarum. Hujus Chiffletii filius Johannes, tum in *Socrate*, p. 35, tum in *Veteri imagine Deiparæ*, p. 6, Macarii Hagioglypta præclare extollit (Le Glay, l. c.). A nonnullis igitur doctis viris lectus et adhibitus Macarius, venit forte, ut affirmat Le Glay, in Joannis Bollandi manus; qui, quod præstantissima doctrina uberem videbat, emittendi consilium cæpisse videtur. Exemplar enim ita descriptum invenio, ut in singulis paginis ex latere adnotetur, quem sensum intrinsecus singula contineant; auctores a Macario citati nonnunquam conferuntur, et lectiones variæ adscribuntur; aliquando etiam enucleatur, si quid paulo ob-

scurius occurrit. Hanc editionem mox futuram innuit, credo, Aubertus Miræus (*Cod. Regul. et constitut. clerical.*, part. II, p. 97) dum scribit anno 1638 : « Macarii Hagioglypta publica luce dignissima propediem typos Plantinianos subitura (v. Iust. Fontanin. præfat. in *Discum argenteum votivum*, Romæ, 1727, p. XIV). » Nihilo minus Hagioglypta Macarii hac etiam vice non invulgata, manserunt in pluteorum loculamentis. Ex his anno demum 1825 eruta esse monet Le Glay, l. c., cum bibliotheca PP. Bollandianorum venderetur; hospitem novum nacta, bibliopolam Lammensium, Antuerpiæ.

Interim fama operis divulgata per doctorum laudes tanta erat, quam quæ maxime; verum quibus modis conditum esset ab auctore non æque notum. Namque illustris Maius in præf. ad *Novam collectionem scriptorum veterum*, t. V, p. IX, iudicavit « necesse esse in Hagioglyptis mss. Johannis Macarii quæ laudibus Fontaninius, p. 14, effert, magnam christianorum titulorum copiam Romæ præsertim collectorum contineri. »

Quæres qua forte fortuna in Hagioglypta inciderim, et quam operam in ea ad publicum usum paranda præstiterim. Joannem Macarium et virum doctum et gravem cognoram potissimum ex epigraphico libello Philippi Winghii, quem mihi Bruxellis descripseram anno 1854. Ecce, jam mensis est, cum mihi notitia allata est

Macarii codicem de sacris picturis et sculpturis ecclesiarum et cœmeteriorum tractantem haberi a nobilissimo viro comite de l'Escalopier. Promisi eum me redditurum statim, si commodasset. Commodavit ille humanitate qua est maxima. Ego vero, tantum quod pervolutavi, cupiditate incensus sum ut ederem in lucem; idque postulavi ab ill. comite; suscepto, si vellet emittere, me adnotationes quæ opportunæ essent, aliquid etiam diagrammatum ex vetustis monumentis ad elucidationem et ornatum additurum. Quoniam igitur illi homini consultissimo ita visum est, meis copiis, ut poteram, instructus invulgatur Macarius; quem destinavi communi utilitati, potissimum eorum qui sacras tractant litteras.

Operi accessiones et emendationes quædam per me factæ sunt non ad augendum, aut perficiendum (id enim consilium meum non fuit), sed ad enucleandum; et, qua oportebat, etiam corrigendum. Emendavi præterea collatis editionibus melioribus, locos auctorum a Macario in opus suum inductos. Si quid in orthographia insolentius erat, ut id temporis, correxi. In adnotationibus monui lectores si quid secus esset existimandum ac ab auctore propositum. Figuris ex monumentis priscis ornavi, et in fine operis indicem addidi, et adnotationes, quibus imagines illæ plane explicarentur. Interim grati animi officium ex me postulare videtur, ut collegis meis

et sociis Carolo Cahier et Arthur Martin plurimum me debere fatear. Alteri, quod ingenium et doctrinam quibus præstantissimus est, ad correctionem operis accommodaverit; alteri quod ectypis sibi jam paratis ad christianarum antiquitatum commentationes, me uti libenti animo permiserit : quibus adjumentis adulevit hoc opus, ut vides.

Macarius primus est qui interpretationem sculpturarum et picturarum aggressus sit; erit igitur intemperantis ingenii et prope iniqui talem tractationem rerum in eo quærere, qualem nos copiis ad nauseam instructi, et doctorum virorum scriptis pæne innumeris corroborati tentare possemus : meminerimusque quod de S. Hippolyto scripsit Photius (*Biblioth.*, c. CCII) : Τοὺς ἀρχὴν θεωρίας καταβαλλομένους, οὐ δίκας ἀπαιτεῖν τῶν παρειμένων, ἀλλ' ἀγαπᾷν μάλιστα αὐτῆς τε τῆς ἐπιβολῆς, καὶ ἐφ' ὅσον ἂν καταλήψεως τῶν διακοσμουμένων προχωροίη.

In tractandis religionis nostræ mysteriis quanta fide et experientia egerint qui Baronii ætate scripserunt, imaginem quandam putavi in Macario esse, quam imitarentur ii qui sincera mente de dogmate disputare volunt. Quo tempore, studio græcarum litterarum et omni eruditione certabant homines, ut testimoniorum sacræ Scripturae ac SS. Patrum vim debilitarent, vel declinarent, novarum rerum cupidi, Macarius noster cum catholicorum doctissimis primorum sæculorum monumenta

etiam excitanda esse putavit. Hoc vero quanti sit ad præstinatas opiniones frangendas experimur Romæ præsertim. In qua civitate picturæ cœmeteriorum et sarcophagorum sculpturæ, errantes oves in catholicam Ecclesiam, æterni Pastoris ovile, intrare compellunt. Quamobrem alibi etiam in honore incipiunt esse et amplificari quotidie hæc studia, vel saltem non negliguntur ut olim. Ego vero edendi Macarii laborem susceptum opportunum fore judico ad investigationes fovendas, ad opiniones hominum conciliandas; ad philosophicam fabulam his temporibus in dogmate judicando inductam, penitus confutandam. Quod enim tempus unquam fuit, in quo Ecclesiæ unius unam et immutabilem fidem, novis inductis corrumpere homines, quos Dominus non miserat, non satagerunt? Itaque, si judicandi in Ecclesia potestas nulla est, unde sciemus in Ecclesia nos esse vera et firma? Vel si judicandi aliqua est, ut esse necesse est, ubinam gentium, quæso, inveniemus nos miseri? si Romanam Ecclesiam excludimus, quam solam idem nunc docere deprehendimus ac priscis temporibus tradidit, et monumentis consignavit suis? Quocirca exclamare cum Augustino liceat : *Non credatur veram fidem tenere catholicam, qui fidem non doceat esse servandam romanam* (S. August. sermo cxx, 13, *De accedentibus ad gratiam*, p. 273, ed. Mai, Nova Bibl., PP., 1852). Dicamus cum Hieronymo : *Nullum primum*

nisi Christum sequens, beatitudini tuæ (Damaso), *id est cathedræ Petri, communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* (Hier. *Adv. Montanum* ad Marcellam). Confugiamus cum *Alexandrinis sacerdotibus papaque Athanasio, et postea Petro, ad tutissimum portum, ad romanæ fidei purissimum fontem* (Hieron., *Epitaph. Marcellæ*). Hanc veri confessionem exprimet, nullus dubito, antiquorum monumentorum Ecclesiæ Romanæ tractatio et studium; quod ut eveniret, hunc laborem sibi adsumpsisse Macarium credendum est, et nos vehementissime cupimus.

Raphael GARRUCCI
ex Soc. Jesu sacerdos, Academicus Herculanensis.





PRÆFATIO AD LECTOREM.

> Ut pictura poesis erit,

inquit Flaccus, non ea solum de causa quam adfert (1):

> Quæ, si propius stes,
> Te capiat magis, et quædam si longius abstes;

sed multis etiam aliis. Ego in universum dixero: ut pictura oratio est; quod hæc pingat sermone, illa coloribus loquatur et lineamentis. Quod si veterum Ecclesiæ Patrum scripta librosque miramur, cum ob insignem pietatem, tum propter excellentem et singularem doctrinam et sapientiam, quæ in iis relucet, quidni eorum picturas non suspicimus, quæ idem pigmentis enuntiant, quod scripta litteris et lineis, et ab eodem fonte religiosi animi et sapientis profluxerunt?

(1) *De Arte poet.*, v. 361.

Quæ res me movit ut attentius observarem veteres imagines et picturas in ecclesiis urbis Romæ et cœmeteriis suburbanis efformatas, atque etiam quæ in fidelium sarcophagis antiquis reperiuntur sculpturas e tabellis marmoreis, adde et gemmis, et si quid aliud ejusdem generis est. In quibus quæ ratio ita pingendi, qua significatione suas ita imagines componerent conabor explicare. Conabor, inquam, nec enim hoc mihi assumo ut omnem quæ in eis est mysterii et reconditi sensus vim assecutus sim. Satis est mihi si aliorum ingenia excitarim ad id melius et diligentius persequendum. Origo autem hujus mei laboris inde est. Alphonsus Ciacconius, Dominicani ordinis religiosus, multis nominibus posteritati commendandus, instruxerat Romæ museum, non solum libris cujuscumque generis, sed et supellectile varia, tum rerum in natura admirabilium, ut fossilium, concharum, marmorum et affinium, tum scutorum antiquorum, ut stilorum, clavium, nolarum, staterarum, et mille aliorum ejusmodi. Qui vir, si quid erat quod faceret ad sacram antiquitatem, libens invisebat, et pictoribus adhibitis delineabat; atque inter alia cœmeterium illud via salaria quod Priscillæ esse creditur, repertum et recognitum anno MDLXXVIII, dum fossores in vinca cujusdam, soli interiora penetrant ad effodiendum pulverem arenarium aptum temperandæ calci (ut usus fert Romæ) perlustrarat, et omnes picturas loci illius expressas in librum redegerat; nec contentus eo, sarcophagorum christianorum etiam imagines et

sculpturas, quæcumque poterat invenire, ut rem vicinam adjecerat.

Cum autem Romam venisset Philippus Winghius nobilis adolescens lovaniensis, sacræ profanæque peritissimus antiquitatis, quam quasi hereditariam colebat, ut qui nepos ex sorore esset Antonii Morillonii, viri doctissimi et in antiquitate versatissimi, nil illi prius fuit quam Alphonsum invisere. Nec multum intercessit temporis, cum illius viri familiaritatem et usum quotidianum, cum morum suorum facilitate et suavitate, tum varia cognitione rerum qua instructus erat (et ego ipse qui fui ei conjunctissimus expertus sum) promeruit, atque ita communicavit cum eo sua studia ut difficulter alter ab altero divelleretur. Quo toto tempore et Ciacconii alias omnes antiquitatis observationes vidit et hunc ipsum librum cœmeteriorum picturis et sarcophagorum imaginibus plenum pervolvit. Quæ causa fuit ut animum adjiceret ad idem cœmeterium visendum, et si quæ alia noverat aut suspicabatur esse, ut sunt multa vel occlusa vel neglecta : et imagines, uti suis oculis viderat, fideliter et coloribus et figuris veris (1) exprimebat,

(1) Winghii diagrammata, quibus etiam Bosius usus est (*Roma sotter.*, l. III, c. LIII, p. 489, 1650, ed. Severani), quo delata sint me latet : nisi quod Rosweydus noster, in notis ad Paulinum (p. 912, n. CLVII, ed. Murat.), citat sarcophagum erutum e cryptis vaticanis, anno 1590, et a Winghio delineatum, eamque delineationem se habere testatur. «Quæ hic habes de Christo, petra, quatuor fontibus, item de palma priore versu, habes expressa in sarcophago marmoreo Romæ, qui erutus fuit ex solo basilicæ

cum diceret in picturis Ciacconii pictores quos adhibuerat plus sibi indulsisse quam par erat, dum nimium properant, vel non satis figuras observant. Volebat autem Philippus omnia, quantum fieri poterat, archetypo respondere, et fidelis esse testis rei antiquæ. Et cum Ciacconius non ulterius progressus esset quam ut imagines in libro conservaret, cogitabat ipse quo pacto possent explicari et suis significationibus insigniri. Jamque accingebat se ad hanc operam, cum subito profectus intempestive mediis caloribus Roma, Florentiam, ad Magni Ducis Etruriæ musea antiquitatis, et si quæ alia apud Florentinos cives essent visenda, nonnullos ibi dies ei rei intentus, eripitur ex hac luce, juvenis longiori vita dignus, qui si senectutem attigisset, in hoc antiquitatis studio facile reliquos anteivisset. Cujus mortem et Ciacconius et alii rebus antiquis dediti non sine lacrimis audiverunt; et Cæsar ipse Baronius nondum cardinalis, et Fredericus Borromæus cardinalis graviter tulerunt. Successit deinde Antonius Bosius et nobilis et doctus juvenis romanus, egregiis moribus, mihi amicissimus, qui, imaginum sacrarum ductus amore, cœmeteria adiit, et, adscito pictore, delineari curavit, et idem in sarcophagis, quoscumque ab amicis, inter quos et ego fui, potuit scire esse, præstitit, et qua licuit diligentia fideque singula contulit in librum depicta.

S. Petri, anno MDXC, itemque alio ibidem, quæ manu sua delineavit Philippus Wingbius; quorum delineatio penes me est. »


Quas Ciacconii, Philippi et Antonii, picturas vidi, et animum meum ita affecerunt ut existimarem dignas ut commentariolo aliquo illustrarentur, et pateret omnibus, quantum ego assequi possem, quid his picturis antiqui voluissent significatum : ut posthac et ab incolis romanis majore cum oblectatione et fructu animorum viserentur, et advenæ haberent etiam aliquid contemplandum in sacris imaginibus, nec solum profanarum statuarum et marmorum specie oculos delinirent suos. Et dum obiter conjiciunt visum in projecta per viam et domos saxa antiqua, aliquando recognoscant sacrum esse, quod profanum crederent, et si qui erunt qui libros veterum sacros profanosque penitius inspexerunt, habebunt quod magna cum voluptate notent, eadem marmoribus et picturis exhiberi, quæ sententiis inclusa viderant, et mutuam sibi lucem operamque præstare libros picturis, picturas libris, et marmoribus sæpe clara fieri quæ in auctoribus obscura erant, aut ibi frequentia, quorum hic rara vel pæne nulla mentio : simul veterum etiam christianorum elucescet et abstrusa sapientia et pietas eximia, quorum non solum in chartis, sed etiam in parietibus et saxis impressa reliquerint argumenta.

Si quos autem delectabit studium antiquitatis sacræ, erit hæc velut portio quædam de ornamentis sacrorum locorum, quæ et qualia veteres adhibebant, quantis ubique plena mysteriis quam appositis rerum involucris ad indaganda nostræ religionis sacramenta mentem excitantia; quæ imagines, ut a nostratibus elegantia

picturæ vincantur, ita recondito sensu multum superant. Quem qui volet, et diligentius quam ego feci, indaget, et pro suo quisque ingenio verius uberiusque perpoliat; mihi porro fuit satis in hunc campum pedem intulisse.

Principium autem sumam ab iis picturis quæ in interiori fronte basilicæ sunt, quam absidem solent antiqui nominare.





LIBER PRIMUS.

De picturis Ecclesiarum et Cœmeteriorum.

C. I. — *De picturis Ecclesiarum in abside et in arcu majori.*

Verenda et imperii plena specie Christus depingitur in antiquioribus absidum picturis, et fere vel ut auctoritatem a Patre accipiens emissa voce : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*, vel ut accepta jam potestate legem ferens et ad eam audiendam excitans, vel ut in tribunali constitutus agens judicem. Omnino enim, quo loco basilicæ civilis, tribunal erat judicis, eo loci in basilica sacra (quæ a civili parum forma differt, ut e Vitruvio constat) apparere Christum

cum potestate qua in nos utitur jam, et qua postmodum utetur; ut fideles ingressi ecclesiam, solo intuitu admonerentur, cujus in oculis essent qui in omnes fideles imperium habet et auctoritatem. Quod si pagani sua intrantes templa statim in conspectu habebant primarii dei deæve simulacrum quod venerabantur, non haberent christiani veri Dei, quem colunt præ oculis, imaginem? Duobus vero locis, introeuntibus, adorandus Christus depingebatur. Primo, in fornice parietis distinguentis presbyterium a gremio ecclesiæ. Omnes enim veteres ecclesiæ habent quamdam in ea parte, circa fornicem, seu arcum majorem uti vocant, picturam Christi, quem viginti quatuor seniores secundum visionem beati Joannis in Apocalypsi (1) coronas attollentes circumstant et acclamant : *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem, et virtutem;* ut fidelis populus, statim vel in limine ostii haberet speciem Christi, quam veneraretur, et idem, quod illi seniores ore, vel corde diceret.

Secundus locus longe venerabilior et augustior, absis ipsa, quæ majestatem amplam Domini jus suum exhibentis præ se ferebat. Quam figuram populus paulo ulterius in ecclesia progressus itidem venerabatur, uti credendum, et in ea velut libro non tantum rudes, sed et docti relegebant quis ille esset, cujus nomen gerebant, fidem colebant, castra sequebantur. Nam, sive aspicerent Christum ea specie qua, baptismo accepto, intonuit de cælo vox : *Ipsum audite*, quid aliud recolerent,

(1) *Apocal.* III, 11.

quam nil jam cunctandum, quin cum audirent in posterum doctorem, quem ipse Pater audiendum præceperat? sive viderent eum astantibus hinc inde coryphæis apostolorum Petro et Paulo, codicem legis sinistra tenentem, dextra sublata mentes et aures excitantem; quid ambigerent quin, omnibus posthabitis, et auscultarent, et quæ vellet animis æquis acceptarent? Seu tandem in tribunali sedentem assistentibus illi duodecim apostolis, observarent; an non percellerentur atque illa docerentur effigie, quam caute coram eo standum, quem aliquando judicem, nullis precibus mulcendum essent habituri? Hæc igitur mens erat majorum nostrorum, qui in interiori fronte ecclesiæ tam veneranda et spectabili Christum specie figurabant, et velut librum fidelibus aliquem, in quo meditabundi diutius hærerent proponebant. Cum autem primo illo modo Christum repræsentabant, ejus pedibus subjiciunt Jordanem, quem late depingunt, nomen circa limbum absidis apponentes grandioribus litteris : JORDANES (1). In eo non mergitur Christus, ut pictores nostri baptizatum pingunt, sed pedibus tantum premit aquas, et quidem indutus veste solita. Nec mirum. Mens enim veterum fuit non baptismum Christi figurare, sed baptizatum jam esse, ostendere. Et alioqui, mos veterum fuit Christum non denudare, ne tum quidem cum vellent in cruce pendentem exhibere. Testis est vetus pictura crucifixi in cœmeterio Priscillæ, et candelabrum marmoreum velut cerei paschalis, quod annis præteritis videbatur in S. Pauli basilica, nunc

(1) Ciampini, *Vet. monum.*, II, tab. XLVII.

alio translatum (1) : quo utroque loco Christus pendens cum interula cernitur nudis tantum brachiis. Posteriores autem quanquam nudum cœperint pingere, non tamen ita nudum ut hodie, sed obtendebant pannum fimbriatum, fere ab umbilico ad genua, ita ut femur utrumque obtegeretur. Notavi id etiam in imaginibus aliorum sanctorum, quod nunquam eorum corpora proponerentur nuda fidelium oculis, licet nuda passa essent; sed pudoris et honestatis causa tegebantur. Quo pacto S. Sebastianus in ecclesia S. Petri ad vincula (2), pictus in muro cum veste est. Nec quicquam in universum in picturis veterum aut sculpturis, quorum bonam partem observavi, vidi nonnisi contectum, præter Adam et Evam, Tobiam juniorem (3), Jonam sub cucurbita vel in mare projectum, vel e ceto ejectum, et Danielem inter leones, Joannem in lebete, si ipse est (4) : tam erant

(1) Descriptum et delineatum candelabrum habet Nicolaus Nicolai, *Della Basilica di S. Paolo*, Roma, 1815, p. 296, seqq., tab. XVIII.

(2) Ciampini, *Vet. monum.*, t. II, p. 116, tab. III.

(3) Tobiam juniorem tunica indutum in fragmentis paterarum ex vitro video, in pictura semel deprehendo adstante archangelo, lumbos palliolo ricino involutum, cetera nudum, si recte auctor designationum, quas edit Perretus, expressit (Perret, *Catacombes*, III, pl. XXVI). Alibi ubi piscem hamo suspensum dextra tenet, cannam sinistra, et nudus apparet totus, piscatorne sit an Tobias definire non ausim. Piscatores modo nudos, modo ricinio aliquo infra umbilicum incinctos videas. Cf. Visconti, *Mus. P. C.*, t. III, tab. XXXII, et tab. A. VI, 11.

(4) Affirmare Macarius prudens non audet; neque ego quidquam mutire possim, loco non indicato : tantum in pictura quadam id repræsentari docemur ab eodem Macario, in fine libri primi.

illi verecundi! Quod ad vestem Christi qua eum antiqui induebant, videre est pretiosam, ut auream vel purpuream. Et superior fere semper pingitur purpurea. Tunica vero similis aut aurei splendoris, quanquam alibi tam tunica quam toga aurea. Et hæc ratio pingendi vestem constanter servata est fere usque ad postrema tempora, quanquam semel videor albam notasse. Non quod ignorarent Christum ea veste non usum, qui pauperem vitam agebat, sed quod illum talis ut imperatorem superorum et inferorum, et regem, decebat. Ut et majorem reliquis personis additis faciunt, non quod crederent eum mensura reliquos superasse. Forma vestis romana est, namque toga superior. Tertullianus, in Apologetico, meminit Christum fuisse pictum a quodam gentili; in qua imagine, cum cetera pessime et impie, hoc saltem bene et forte a communi Christianorum tum temporis pingendi eum consuetudine desumptum, quod erat librum gestans et togatus; faciem porro Christi ad vivum accedere existimo, quod persuasum habeam veteres illos veram divini vultus Christi apud se conservasse imaginem. Gentilis ille Alexander Severus Christi statuam (non dubito ad vivum expressam) habebat in larario. At unde nisi a christianis? Habuerunt enim etiam tum imagines Christi pictas et fusiles (1).

Statuam porro istam a muliere illa sanguinis profluvio laborante, ad Christi formam et habitum conflatam esse vera certaque quæ ad nos pervenit, historia tradidit; atque ea ad Juliani usque tempora perduravit. Neque

(1) Nicephor., *Hist. eccl.*, lib. VI, cap. xv.

adeo mirum videri debet qui aliquid beneficii olim a Salvatore nostro accepere eos per ejusmodi monimenta grati erga eum animi memoriam reliquisse. Quum etiam sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ipsiusque adeo Christi, et quæ eum supra naturæ captum mirifice genuit, Virginis matris, coloribus adumbratas imagines plurimas ad hunc usque diem conservatas esse noverimus. Ac Lucas quidem apostolus primus ipsas, accurate opus id exorsus, manibus suis depinxit (1), deinde vero ex veteribus alii quoque viri. Nec recedunt picturæ ab iis quas idem Nicephorus refert de vultu et corpore Christi : « Porro effigies (inquit ille) formæ Domini nostri Jesu Christi, sicut a veteribus accepimus, talis propemodum quatenus eum crassius verbis comprehendere licet, fuit. Egregio is vividoque vultu fuit, corporis statura ad palmos prorsus septem. Cæsariem habuit subflavam, at non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem. Supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis subflavescentibus mirifica prominebat gratia. Acres ii erant, et nasus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput ejus non ascendit (2), neque manus aliqua hominis, prætérquam matris, in tenera duntaxat ætate ejus. Collum fuit sensim decline, ita ut non arduo ex extento corpo-

(1) Tradit id Theodorus Lector historicus sæculi sexti, l. I, p.551, Paris., 1673, in excerptis Nicephori Callisti, ed. Vales.

(2) Errore vulgari Ναζωραῖος, quod nomen est oppidani נצרי ex נצרת, cum Ναζωραιος, נזירי ex נזיר Deo devotus confunditur. Quamobrem intonso capillo Christum Dominum fuisse produnt.

ris statu esset; porro frumenti referens colorem. Non rotundam aut acuminatam habuit faciem, sed qualis matris ejus erat, paulum deorsum vergentem, ac modice rubicundam, gravitatem atque prudentiam cum lenitate conjunctam placabilitatemque iracundiæ expertem præ se ferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ et immaculatæ suæ genitrici (1). » Refert et id scire quo vultu fuerit et statu corporis, mater. Nicephorus idem : « Mores autem formæque et staturæ ejus, modus, ut inquit Epiphanius (2), fuit. Erat in omnibus honesta et gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, et perquam affabilis, honorem suum et venerationem omnibus exhibens, statura mediocri, quamvis sint qui eam aliquantulum me-

(1) Hanc descriptionem a Nicephoro conditam nemo, credo, putabit, qui similes in veteribus libris alias fuisse sibi repræsentaverit. Nuper Tischendorfius ex bibliotheca imperiali parisiaca protulit Elpii cujusdam Romani excerpta quædam (*Anecdota sacra et profana*, pag. 129), in quibus describitur imago Jesu Christi eadem auctoritate quam testatur Nicephorus. Dicit enim a veteribus historicis se accepisse ὅσα περὶ αὐτοῦ οἱ παλαιοὶ ἱστορηταὶ γεγράφασιν. Quamobrem, facile ut vides ad apocryphos labimur. Hoc vero cum moneo, nolim quemquam opinari me omnia improbare quæ in apocryphis leguntur. Sequor enim S. Hieronymum, qui ad Lætam de institutione filiæ scripsit : « Caveat omnia apocrypha, et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotantur, multaque in his admixta vitiosa. »

(2) Lib. II, 6, 23.

Epiphanius monachus et presbyter, sive hieromonachus, floruit sæculo duodecimo facile (V. Harles. ad Biblioth. græc. Fabricii V., p. 258) scripsitque de charactere B. Mariæ et Domini Nostri. V. Epiphanii edita et inedita, ed. Dressel, 1843, p. 183.

diocrem longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate adversus omnes homines usa est, sine risu, sine perturbatione et sine iracundia maxime. Colore fuit frumentum referente, capillo flavo, oculis acribus subflavas et tamquam oleæ colore pupillas in eis habens; supercilia ei erant inflexa et decenter nigra. Nasus longior, labia florida et verborum suavitate plena; facies non rotunda et acuta sed aliquanto longior, manus simul et digiti longiores. Erat denique omnis fastus expers, simplex minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens, vestimentis quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiam nunc sanctum capitis ejus velamen ostendit. » Hæc ille. Quod ad brachia, dextro semper exporrecto atque extento pingitur Christus, sed modo altius, modo depressius. Cum depressius, convocantis et invitantis ad se est, et ea velut dicentis : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

Quem sensum quidam non inconcinne versu expressit, et sub imagine Salvatoris posuit sculpta antiquitus in superliminari marmoreo, quod erat in ecclesia S. Apollinaris, nunc ablatum est.

Ad me ponderibus pressi recreabo, venite;
Sum requies tranquilla, Deus, sum vita salusque.

Hoc enim gestu brachii blande appellat, ut quanquam appareat imperium in nos a Patre demandatum habere, tamen malit invitare, et suaviter ad se trahere, et palam facere :

Quod in una sede morentur
Majestas et amor.

Dextram autem tendere, fuisse hortantis et clamantis, indicant Ciceronis verba, oratione de provinciis consularibus : *Cum palam populi romani imperator instructo exercitu dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi et empta et emenda esse clamaret.* Et auxilium pollicentis, ejusdem alia Philippica decima : *Græcia quæ quidem nunc M. Bruti imperio, auctoritate, copiis, non instructa solum, sed etiam ornata, tendit dextram Italiæ, suumque ei præsidium pollicetur.* Quum altius extollit brachium Christus, ad promptitudinem animi excitantis est, ut sint parati astantes et audire et suscipere quæ proponit. Et indicentis etiam silentium video signum fuisse brachii et manus motum. Ita in Actis Apostolorum, c. xxi, 40 : Ὁ Παῦλος ἑστὼς ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν κατέσεισεν τῇ χειρὶ τῷ λαῷ, *Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem.* Et sequitur : *Et magno silentio facto allocutus est lingua hebræa dicens.* Sed ille motus videtur fuisse deorsum, quod indicat verbum græcum κατέσεισεν, quasi dicat, *deorsum movit*, quod facimus dum voces et strepitus comprimimus, atque ita silentium expostulamus (1). Verum hic sublata manus, et animum pariter sublatum et excitatum postulare videtur. Diversos enim motus animi, diversis et brachii et manus gestibus cupimus. Et aliquibus brachii gestibus nomen reperimus inditum : ut dum imperator equo insidens (2) brachium exporri-

(1) Adde Act. Apost. c. XII, 17; et Lucanum *Pharsal.* I, 297 : *Dextraque silentia jussit.*

(2) Gestus brachii *pacificator* nominatus apud Quintilianum, lib. XI, cap. III. *Bolland.*

git, pacificatoris nomen habere gestus ille creditur : cujus nominis meminit Quintilianus in oratoriis institutionibus; et eum describi a Statio in equo Domitiani, hoc versu :

Dextra vetat pugnas,

notavit in Miscellaneis Politianus, cap. LX. Sinistra vero semper depressa est, et volumen habet sæpe complicatum, nonnunquam et paulum evolutum, sic ut digitis utrisque fines voluminis arctentur et pendeat sinus ejus. Qui modus tenendi volumen est docentium, ut licet videre in statuis antiquis professorum (1). Et sane decebat hic gestus sinistram Christi, ut qui legislator et doctor noster est : et cum auctoritatem a Patre habeat, ut eum audiamus, apte volumen legis tenet, in quo ejus præcepta continentur, ut et huc illud Isaiæ transferatur : *Non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Quod si Christus in aliquibus, extra absides, musivis vel aliis picturis, parte una tantum brachii erecta, manum ita conformare videtur, ut digitos duos longiores attollat, reliquis complicatis, ille gestus esto loquentis, et ad populum verba (benedictionis nempe) proferentis. Sic enim oratores et causidici in sarcophagis gentilium sculpuntur. Cujus moris Fulgentius in continentia virgiliana sic meminit : *Compositus in dicendi modum, erectis in iotam duobus digitis, tertium pollicem* (2) *comprimens, ita verbis*

(1) Apud Pauluccios Romæ, et Horatium de la Valle. *Macar.*
(2) Sic codd. et edd., sed lege *pollice.*



2

exorsus est (1) : Et quia benedictiones christianæ adhibito crucis signaculo sæpe fiebant, hinc est quod antiqui, dum cruce se signarent, eum manus gestum servarent; qui remansit etiam in avis nostris, et eum in benedictione mensæ semper usurpabat parens meus Joannes, cui requies sit. Sic intelligo quod Joannes Diaconus, lib. IV Vitæ B. Gregorii, c. LXXXII, ait de Sylvia matre ejus, ita pictam fuisse ut duobus dextræ digitis, signaculo crucis se muniro velle prætenderet. Et dum agit de pictura B. Gregorii, c. LXXXIV, ait *gestasse evangelium manu sinistra, modum crucis in dextra fuisse;* id est (ut interpretor) digitos habuisse compositos ut crucem formare velle diceres (2). Inter astantes primi sunt, ut dixi, coryphæi apostolorum, Petrus et Paulus, habitu egregio, toga candida (quanquam interdum alius color), velut senatores præcipui et ornatissimi. Sed quid? Beatusne Petrus ita componebat comam suam quemadmodum pingitur, in undarum speciem; et, ut cum veteribus loquamur, in gradus? Fuit enim tempus cum Romani, et imperatores præsertim, ejusmodi in crine mollitie uterentur. Et quidem nummi præ ceteris id evidenter nobis ostendunt, e quibus colligere licet quando id cœperit, sub Augusti tempora nempe, aut paulo post; et quod desierit sub Hadriani imperium. Nec desunt auctorum

(1) Pressius etiam hunc gestum descripsit Apuleius in Milesiis lib. II : « Instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis, ceteros porrigit et infesto pollice clementer subrigens infit. »

(2) Cf. Papebroch. *Propyl. Maii,* p. 88, et diagramma, p. 24.

loci qui ejus rei mentionem faciunt. Tranquillus in Nerone, c. LI : *Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione achaica, etiam pæne verticem sumpserit.* Et Quintilianus lib. I, c. x : *Igitur, ut velli, et comam in gradus fingere et in balneis perpotare, quamlibet hæc invaserint civitatem, non erit consuetudo.* Martianus Capella crines ea forma compositos Dialecticam habere fabulatur. Cujus verba sunt (1) : *Cui crines tortuosi, decentique inflexione crispati et nexiles videbantur, qui tamen deducti per quosdam consequentes gradus, ita formam totius capitis circulabant, ut nihil deesse cerneres, nihil superfluum detineres.* Alibi et Quintilianus XII, 10 : *Sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultra. Do tempori ne hirta toga sit, non serica, ne intonsum caput, non in gradus atque annulos comptum, cum eo quod non ad luxuriam ac libidinem referas, eadem speciosiora quoque sint quæ honestiora.* Manilius, lib. V, versu 146 :

> Illis cura sui vultus, frontisque decoræ
> Semper erit; tortos in fluctum ponere crines
> Aut undis revocare comas, et vertice denso
> Fingere, et appositis caput emutare capillis.

Quid ergo? Sanctissimus apostolus eo deliciarum venit ut crinem suum ita temperaret? Non videtur credendum. Cum me convertero ad marmora et sarcophagos, in quibus idem apostolus sculptus a latere Christi, longe aliter ponitur, non ita plene capillatus, sed calvus; quid sibi vult hoc discrimen sculpti a picto? Quanquam

(1) *De Nuptiis Philologiæ* VI, § 32.

et marmora a picturis dissident, etiam in eo, quod illa Christum ponunt fere semper imberbem (dixi fere, quod semel aliter viderim), hæ semper barbatum (1). Cur in isto discrepant, cum in aliis conveniant; nec tam ovum ovo sit simile, quam pictura sculpturæ? quæ ratio discriminis? aut quibus magis standum? An forte dicendum, majorem fidem mereri picturas, quod publica auctoritate fierent, marmora sculperentur privata licentia, et fabrili festinatione cui sæpe error comes? licet id observarim marmorum exsculpendorum artifices fuisse constantes, præter unum forte aut alterum, in suo genere sculpendi et pictores in suo genere pingendi; ut hinc conjiciat quis, id utrosque, ratione ductos quemque sua, fecisse. Si Nicephoro fides adhibenda, qui vultus horum apostolorum, et reliquum habitum corporis descripsit, picturæ erunt veriores : ita enim lib. II, c. XXXVII : « Staturam autem et corporis formam divi apostoli, quantum per descriptionem simpliciorem assequi licet, talem habuere. Petrus equidem non crassa corporis statura fuit, sed quæ aliquanto esset erectior, facie subpallida et alba admodum, capilli et capitis et barbæ crispi et densi, sed non admodum prominentes fuere. Oculi quasi sanguine respersi et nigri, supercilia prope evulsa, nasus autem longior ille quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus simusque magis. Paulus autem corpore erat parvo et contracto et quasi incurvo ac paululum inflexo, facie candida, annosque

(1) Picturas ex musivo intelligit.

plures præ se ferente, et capite modico; oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versum vergebant, nasus pulchre inflexus, idemque longior; barba densior et satis promissa eaque non minus quam capitis coma, canis etiam respersa erat. » Ita ille. Denso ergo erat crine capitis Petrus (1), attamen crispo. Hinc factum reor ut crispaverint ejus crines pictores in speciem maxime decoram, ut et alia omnia ei dederunt ornatissima, romanum habitum togæ candidissimum, quo tanto candore forte non est usus. At quod erant parum prominentes capilli, occasionem dederit sculptoribus, ut vix exprimerent eos, uti forte nec barbam Christo apposuerunt quod esset modica, uti narrat Nicephorus. Mihi sane puero narratum sæpe, Petrum fuisse calvum, cum addita fabula, quam omitto, unde id factum (2) : quod forte ei contigerit in senectute. Nec deest antiqui auctoris de calvitie Petri testimonium. Hieronymus in illud epistolæ Pauli ad Galatas : *Veni Hierosolymam videre Petrum : non ut oculos, inquit, genas vultumque ejus aspiceret, et utrum frontem vestiret coma; an, ut Clemens in periodis ejus refert, calvitiem haberet in capite.* Quod si Nicephori descriptioni stamus, omnino optime repræsentabit Petrum illa effigies quæ est in musivo absidis S. Andreæ in Barbara (3), quæ non est crispato in undas crine. Est autem a Simplicio Papa ibi posita.

---

(1) Petri non absimilem descriptionem dabit Elpius apud Tischend. *Anecd.*, p. 130.

(2) Ad fabulam eandem alludit Petrus Antiochenus in epistola ad Cerularium.

(3) Ciampini, *Vet. monim.*, T. I, p. 242, Tab. LXXVI.

At quomodo astant Christo hi duo Apostoli, quo statu? Pro gestu dextri brachii Christi. Nam si paulo erectius est, astant ut auscultaturi, parati excipere quæ dicturus est, probaturi quæ proponit. Et, si placet, jam audientes, jam probantes : sin demissius idem brachium extenditur, speciem habent admissionalium et ad Christum deducentium. Post illos apponuntur alii beati beatæve. At qui et hi consistunt? Si Petrus et Paulus invitant ut accedant et admittere parati sunt, accedentium speciem præ se ferunt. Quod e gressu et movendi modo liquet, ut in musivo SS. Cosmæ et Damiani (1). Et quidem non nisi *cum donis accedunt. Et aliqui coronas videntur velle offerre*, alii aliud. Quod eam rationem habet, quod non oportet vacuum in conspectu Domini apparere (*Deuter.* XVI, 16). Qui modus accedendi cum donis, etiam observatur in minoribus musivis extra absides, ut in frontispiciis quarumdam ecclesiarum, et aliis locis. Prudentius (2) eum ritum insinuat agens de Cæsaraugusta :

Plena magnorum domus angelorum,
Non timet mundi fragilis ruinam
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.

Sic de aliis quibusdam civitatibus dicit, in occursum Christi dona parare. Sin coryphæi apostoli auscultant, astant alii, quandoque et statu auscultantium, ut in S. Andrea in Barbara (3); aliquando recto et simplici

(1) Ciampini, *Vet. monim.*, II, 60, Tab. XVI.
(2) *Peristeph.* hymno IV, strophe 2.
(3) Ciampini, *Vet. monim.*, I, 242, Tab. LXXVI.

statu, ornatus quisque eo habitu, qui cum sanctum sanctamve decet : quanquam parvam quamdam speciem habent gestantium quiddam, etiam si non videantur velle accedere. In majore vero parte ejusmodi musivorum absidis, postremus a dextris est pontifex, qui eam ecclesiam erexit aut instauravit, atque ideo gestat eam supposita veste planeta : cujus ecclesiæ pingitur ibi forma quæ structa fuit primum. In qua multa minuta notari possunt quod ad tegulas illius temporis, fenestras et alia, quæ postea alia instauratione mutata sunt. Sanctus autem ille qui pontifici proximus est, admissionis munere videtur velle fungi, dum manum applicat post tergum admotam dextro humero pontificis, quasi deducturus offerentem ad Dominum. Quod si femina fuerit quæ offert ecclesiam, ut Beata Lucina in musivo S. Laurenti in Lucina, non id fit, sexus gratia. Ad caput autem pontificis offerentis, est tabella quadra quod signum est eum fuisse in vivis dum ita pingitur.

Joannes Diaconus in Vita beati Gregorii, ita de eo depicto : *Circa verticem vero, tabulæ similitudinem (quod viventis insigne) præferens, non coronam :* ex quo manifestissime declaratur quod Gregorius dum adhuc viveret in sua similitudine depingi salubriter voluit. Coronam hic intelligo, rotundum illud quod capitibus eorum qui vita excesserunt sancti jam habiti apponitur, usurpatum a majoribus nostris ut distinguerent a reliquis personis, vel quæ viverent, vel qui beati non habebantur certo. Et primo quidem, si animum diligenter intenderimus, observare poterimus Christo soli apposuisse simplicem coronam, nulla cruce inserta; quan-



quam fuit tempus cum nullam apponerent. In marmoribus sane et sarcophagis nunquam videtur, nec in quibusdam antiquioribus picturis, imo in cœmeterialibus nunquam. Satisque illis videbatur Christum majori statura repræsentare quam aut apostolos principes, aut saltem quam reliquos sanctos. Postea cœperunt insignire corona etiam apostolorum capita et sanctorum aliorum, ita tamen ut Christo tum adderent novum in corona discrimen ab aliis, crucem nempe, aut quid simile, ut patebit veteres picturas scrutanti. Vidi tamen gemmam satis antiquam in manibus Fulvii Ursini, ubi Christus excitans a mortuis Lazarum, coronam in capite habebat de qua loquor, simplicem, nullo alio præsente. Contingit autem ut quibusdam sanctis viris lucidus orbis (aurea enim rotunditas illa depingitur, dum adhuc

viverent) apparuerit, ut disertis verbis de Ambrosio (1) narrat Paulinus; et Abdias (2) refert quod supra caput Joannis Evangelistæ lux maxima per horam fulserit, quam nullus ferret aspectus. Tale quid Velleius Paterculus de Augusto narrat, c. XCV : *Cum intraret urbem*, inquit, *solis orbis supra caput ejus curvatus æqualiter, rotundusque in colorem arcus velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.* Corona radiata capitibus imperatorum Romanorum non tam apponebatur, quam circumponebatur instar diadematis. At quod tabella quædam rotunda absque radiis, aut lunata, saltem capitibus statuarum affigebatur : non meminit modo Ammianus Marcellinus (lib. 17 et 25), sed inter Græcos Aristophanes *Avibus*, v. 1114, ubi aves hominibus aiunt : Χαλκεύεσθε μηνίσκους φορεῖν ὥσπερ ἀνδριάντες, *Fabricate lunulas quas feratis, ut statuæ solent.* Quod autem gentiles ad tuendum decorem statuarum suarum, defendendasque a variis injuriis faciebant, nos id ad mysterium æternitatis gloriæ sanctorum quæ rotunditate signatur, et discrimen ab aliis, ut dixi, statuendum accepimus, quo pertinet, quod viventium capitibus quadram tabellam addiderunt a tergo veteres, quod ea figura sit imperfectior et angulis constet. Quo significatur hujus vitæ status nondum ad omnem perfectionem et securitatem rotundatus. Quin et noto colorem tabellæ quadræ qui ceruleus est ideoque minus clarus et lucidus quam qui aureus et irradians in orbiculari tabella ponitur; quod, ut credo, colore minus claro declarare vellent, hanc vitam adhuc

(1) In ejus vita.

(2) *Histor. Apost.* lib. V, in fine.

obcuritatibus quibusdam teneri, alteram autem splendidam esse. Ceterum in pontificibus non solum illa tabella de qua dixi, notanda fuerit, sed et reliquus habitus pontificius, qui est idem colore et forma, quo utebatur pontifex qui ponitur. Videndus est planetæ palliique (quæ est fascia circum humeros) modus et ratio illa circumponendi, quæ alia quam hodie; tonsura presbyteralis, coma, quæ barbæ forma, vultus ipse qui ad vivum accedit, tota amiciendi ratio, tunica interior, calcei ipsi in quibus reperitur crux impressa, manuum pedumque positus, quomodo gestant, et multa alia quæ longum esset sigillatim enumerare, idque non solum in pontificibus, verum et reliquis personis appositis. Sane juvat antiquitatem plurimam in illis imaginibus intueri, atque ea quorum in libris est vestigium. Velut in tunicis ubique diversicolores intextas fascias videmus, cujus rei mentionem facit Joannes Diaconus, qui, in Vita Beati Gregorii dum imaginem matris ejus describit, ait Sylviam matrem, tunicam interiorem indutam fuisse distinctam duabus zonis ad similitudinem dalmaticarum sub planeta. Et Isidorus, lib. 19 Originum : *Dalmatica*, inquit, *alba erat, virgulis coccineis distincta*. Hujusmodi vestes, si eidem Isidoro credimus, *segmentatæ* dicentur (1). Sic enim in Etymolog. : *Segmentata vestis quæ fit zonis quibusdam et quasi præcisamentis ornata*, cujus etiam alibi mentio apud auctores. Et id genus, non solum in musivis animadvertimus, sed etiam in cœme-

(1) *Segmentum* fascia seu limbus est, qua extrema ora vestis prætexitur; verum *virgula*, Græcis ῥάβδος, demittitur et tunicam vel dalmaticam linea recta distinguit.

terialibus figuris, in quibus et tunica et dalmatica (qua ibi viri et mulieres utuntur ut veste superiore) sunt ejusmodi semper zonis distinctæ. Imo et in picturis librorum illius ævi eadem ratio; ut in terentiano codice vaticano personæ comœdiarum ita pinguntur. Nec minus temporis illius usus est nota illa litterarum quæ in lacinia togæ cernitur intexta nunc hæc, nunc illa; et aliquando ejusmodi quæ elementum nullum præ se ferret, sed privatim efficta esset, uti hæc ⌗ : quas notas in togis Domini nostri etiam adhibent picturæ. Qua ex re colligimus, omnia veteres fere ad consuetudinem sui temporis retulisse, quum in dicto codice Terentii, ut illæ fasciæ, sic hæ notæ reperiantur. Ad quas notas et litteras forte poterit accommodari locus ille Boëthii, qui in Consolatione philosophiæ, quam introducit ut feminam, ita habitum describit : *Vestes (ejus) erant tenuissimis filis, subtili artificio, indissolubilique materia perfectæ, quas uti post eadem prodente cognovi, suis manibus ipsa texuerat. Quarum speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat. Harum in extrema margine* Π, *in suprema vero* Θ *legebatur intextum.* Qui modus pingendi vestes insignitas litteris, etiam servatur in frontispicio Basilicæ S. Petri musiva pictura exornato, quanquam sub recentiore pontifice, Gregorio nono (1). Prisci autem illi, nullum sanctis dant

(1) Litteras in palliorum laciniis habent etiam picturæ in cœmeteriis. V. Bottari, Tab. LXIV, II, III. CIII, B, C. CXXIII, I, III. CXXVI, I, IV. CXXVIII, IV, V. In his invenias I (nonnunquam lineis transversis longioribus), vel X, nempe Ἰησοῦς Χριστός. Litteras variavit sequior ætas, re non intellecta.

signum quo inter se distinguantur, quod hodie facimus : ut in martyribus palmam, et privatim varia variis, S. Paulo gladium, S. Catharinæ rotam, S. Barbaræ turrim, et aliis aliud. Ejusmodi signa nondum excogitaverant, nec usquam discriminis loco (uti Paulo gladium), instrumentum quo passi sunt apposuerunt, nisi quod S. Laurentius cum craticula, ut in S. Cyriaco et in S. Laurentio



in Lucina; S. Stephanus cum lapide super caput, ponatur; et in modice antiquo musivo atrii S. Petri sinistra magni introitus parte, S. Petrus tenet manu circulum ferreum, e quo claves dependent. Sed qui poterant beati et beatæ distingui his non additis? Primo diligenter habitum beati affingebant; deinde nomen apponebant, et

quidem nonnunquam literis perpendiculari tractu decurrentibus, ut in S. Joanne minore, prope S. Silvestrum in lacu. Paulinus ejus moris meminit apponendi nomina sanctorum picturis (*Natali* x S. Felicis, v. 20) :

Martyribus mediam (cellam) pictis pia nomina signant.

Frequens vero est ut palmæ inserantur musivis absidum in quibus Christus ponitur cum apostolis principibus, quæ duæ nec plures conspiciuntur, ab utroque latere absidis, propendentibus hinc inde e qualibet, suis *elatis* (1), superposita dextræ (2) palmæ phœnice ave. Quæ omnia addita sunt ad gloriam sanctorum significandam, et præcipue apostolorum principum. Sed de palmis hisce, et cur uni superponatur phœnix, dicemus alio loco fusius. Non omittendum autem est id quod supra caput Christi conspicitur in absidis curvaturæ supremo quasi vertice, nempe manus quæ coronam porrigit imponendam Christo, ut sic eum velut imperatorem nostrum constituat, atque adeo omnem in nos auctoritatem et imperium det. Nam pro voce patris de cœlo demissa ponitur hæc manus cum corona, dicentis : *Hic est filius meus, in quo mihi complacui; ipsum audite*. Quæ manus coronans e nube exserta, etiam apposita est non solum cum Christus supra Jordanem est,

(1) Ἡ ἐλάτη Galeno est palmæ florentis calyx, τὸ ἁπαλὸν ἐκβλάστημα τῆς φοίνικος : Dioscorides vero pressius : περικάλυμμα τοῦ καρποῦ τῶν φοινίκων ἀκμὴν ἀνθούντων, quo sensu adhibet Macarius. Namque *elate* arbor est; sive abies ea sit sive palma, vel spathe ; idque Plinius (l. XII, c. 28, n. 62) non definit. Cf. Ducæum in notis ad Paulin., ep. XXIII, ed. Murat. p. 893.

(2) Quæ sinistra est intuentibus. Cf diagramma, p. 40.

sed etiam cum sine eo; ut intelligamus semper Christum cum potestate, et suo in nos jure a Patre accepto repræsentari, quod initio dicebamus. Atque ita fere est facies absidis, cum stans Christus ostenditur. Uno in musivo S. Pudentianæ Christus sedet ut judex, assident apostoli hinc inde, judicaturi cum eo. Supra eos duæ feminæ appinguntur, utrinque una, ut significetur, credo, etiam feminas sanctas judicaturas, non solum viros. Ponitur et crux et signum Filii hominis, quod apparebit cum Dominus ad judicandum venerit. Sunt et ibi quatuor animalia, quorum frequens mentio in Scriptura, homo, bos, leo, vitulus. Hi sunt modi quibus in abside Christus aut stans aut sedens pingitur.

In cruce pendentem Christum semel videre est in medio absidis S. Clementis, quod musivum non ita temporis remoti, ut alia supra commemorata. Extra absidem pendentem Christum opere musivo videmus in confessione S. Priscæ, ut supra dixi, in cœmeterio Priscillæ, et quodam candelabro cerei paschalis; qui duo postremi crucifixi vestiti sunt, interula tantum, duo priores non ita. Verum in iis observandum, quo genere panni, quam amplo et fimbriato, paulum supra umbilicum ad genua usque protenso tegantur, ut ante monui; quod pedes singuli, distinctis clavis supposito ligno prominulo sint transfixi. Qui modus fuit antiquus pingendi crucifixum. Et ut id obiter notem, diu hic modus duravit, donec simili ligno subdito pedes transversim deductos uno clavo fixerunt; cujusmodi vidi crucifixum in domo ad mœnia puerorum quos dicunt *litteratos*, Romæ; lignum quidem illud prominulum sub pedibus non

erat, sed vestigium ejus apparebat. Tandem, omisso illo ligno, pictores aut sculptores pedes Christi transversos nobis uno clavo fixerunt. Quod annotare volui ut sciremus qui progressus fuerit ad hunc ultimum pingendi modum. Memini picturæ veteris in abside S. Balbinæ (nunc ablata est ut cederet novæ) quæ habebat crucem solam in medio, sine Christo affixo. Extremo stipite crux inferius tangebat pulvinar in sede et velut basi quasi repositum, quam exornabat elegans pannus circumfusus : qui modus fuit antiquis usitatus. In vetustioribus autem picturis aut sculpturis, quascunque vidi, non aliter crux ponitur quam sine Christo. Nam quæ cruces reperiuntur cum Christo pendente, facile agnoscuntur (et in quibusdam certo scitur) esse posterioris temporis. Ceteris antiquior fuerit crux cum Christo quæ picta in cœmeterio Priscillæ. Nam cœmeteriorum ejusmodi, quæ subterranea sunt extra urbem, fuit usus ad usque postrema tempora regum Longobardorum. Absides quas Paulinus jussit fieri in basilicis suis nolanis et versibus describit, habent crucem solam sine Christo addito, de quibus agam infra. In scriptoribus mentio Christi ad crucem additi certa et indubitata est sæculo Christi sexto. Gregorius enim Turonensis, qui sub Mauricio imperatore fuit (1), scribit esse *apud Narbonensem urbem in ecclesia seniore, quæ Genesii martyris reliquiis plaudit, picturam, quæ Dominum nostrum quasi præcinctum linteo indicat crucifixum, quæ pictura dum assidue cerneretur a populis, apparuit cuidam Basilio*

(1) Libro I *de Gloria martyrum*, c. XXIII.

presbytero per visum persona terribilis dicens : Omnes vos obtecti estis variis indumentis, et me jugiter nudum aspicitis; vade quanto ocius et cooperi me vestimento, et tege linteo picturam illam in qua crucifixus appareo. Ecce tum solitum pingere crucifixos præcinctos, et jussos per visum tegi quod forte ab aliis fuerit observatum etiam alibi. Ante Gregorium et Augustinus videtur meminisse (si modo is auctor est) (1) : *Adjicitur*, inquit, *super crucem quædam hominis inibi patientis imago, per quod salutifera Jesu Christi nobis renovatur passio. Hanc complectere humiliter, venerare suppliciter.* Et paulo post : *Scilicet ipsius* (nempe Christi) *nota sunt crux et crucifixus*. Chrysostomus etiam (*homilia* LV, 5. in Matthæum) postquam de cruce multa dixit, subjungit : *Si ergo gentilium quispiam tibi dixerit, crucifixum ne adores, noli dubitare clara voce et læta facie dicere : et adoro et adorandi nunquam finem faciam.* B. Hieronymus, de S. Paula : *Prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Prior his Lactantius, in carmine, si modo is est auctor :

Quisquis ades, mediique subis in limina templi
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me, me conde animo, me in pectore serva.
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos
Huc veni.
Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos
Atque ingens lateris vulnus, cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos.

(1) Lib. II *de Visitat. infirm.*, c. III.

Videtur et Minucius Felix Lactantio prior innuere, quem Molanus adducens (1), sic ait : *Apud Minutium Felicem in eo libro seu dialogo qui Octavius inscribitur apud veteres (ac proinde falso est in editis libris Octavii Arnobii contra gentes) in eo, inquam dialogo catholicis objicitur quod ad signum crucis habeant pendentem hominem. Nam et signa ipsa et cantabra et vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ cruces sunt et ornatæ? trophæa vestra victricia, non tantum simplicis crucis faciem, verum et affixi hominis imitantur.* Ita Molanus. Hæc autem verba Minucii, ne quis fallatur, non sunt pagani objicientis id christianis, sed christiani paganis respondentis, et regerentis illis id cujus christianos insimulabant. Paganus enim antea dixerat, c. IX : *Audio eos christianos, turpissimæ pecudis caput asini consecratum, inepta nescio qua persuasione venerari.* Et paulo post : *Et hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum cæremonias fabulatur, congruentia perditis, sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur.* Et post interjecta pluscula, c. XII : *Sed omitto communia. Ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, et jam non adorandæ, sed subeundæ cruces.* Ad quod respondet suo loco Octavius Christianus, c. XXIX : *Cruces etiam nec colimus* (more gentilium nempe) *nec optamus. Vos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Nam et signa ipsa et cantabra et vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ cruces*

(1) Lib. *De historia SS. imaginum*, II, c. VII.

sunt et ornatæ? Trophæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum et affixi hominis imitantur. Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur; et cum erigitur jugum, crucis signum est; et cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur: ita signo crucis, aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur. Quasi dicat Octavius, objicitis quod crucem et quemdam cruci affixum adoramus. At vos et in rebus a natura vel arte factis, crucem non abhorretis, et in vestra etiam religione colitis, nec simplicem tantum crucem ut in labaris, sed et ad speciem hominis affixi compositam, ut in trophæis, atque ita quod in nobis reprehenditis, hoc ipsi facitis (1).

---

(1) Facere non possum quin hic pauca adducam ad ornanda ea quæ docte Macarius congessit. Acta S. Gregorii apostoli gentis armeniæ vulgavit Stiltingius ad VIII sept. p. 296 seqq. In his Agathangelus discipulus ejus inseruit orationem ab eo habitam, quam Stiltingius noster interpolatam actis putavit ea de causa, quod ibi imaginem Jesu Christi crucifixi a sancto viro Armeniis illatam, ejusque cultum prædicatum videbat. Stiltingium ab ea sententia revocasset S. Nicephorus, qui sæculo septimo in Antirheticis contra Eusebium testimonium illud luculentum ab iisdem actis excitavit. V. Spicilegium solesmense. T. I, et ea quæ ibi Pitra rectissime adnotavit ad p. 300. Constat igitur jam sæculo tertio a S. Gregorio Christi crucifixi imaginem Armeniis datam. Innocentius Papa, qui ab anno 402 ad 417 sedit, in epistola XVIII, revocavit canonem martyris Pamphili in quo monentur fideles ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν ἄχραντον χειροποιητὴν στήλην τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Necesse est igitur ponere canonem hunc extitisse, quem martyris Pamphili auctoritate suæ bibliothecæ Origenes intulisset. Hoc vero mihi satis est: longum

Moris autem fuit antiquis seu crucem solam, seu cum Christo ponerent in absidibus (et marmoribus quandoque), columbas addere per totam (in absidibus saltem) fere crucem, et in transverso ligno nempe, et in stipite; uti conspexi et bene memini fuisse in cruce balbiniana, et nunc etiam in cruce S. Clementis, cujus rei ratio post a me referetur. Et quidem ita se habent absides in quarum medio Christus ponitur. Sunt et in quibus beata mater Virgo Maria tenet medium, ut in S. Venantio prope baptisterium S. Joannis in Laterano; et quidem stans : qui est antiquior modus eam pingendi, diductis brachiis, in speciem veteri more orantium.

Solebant enim prisci Christiani expansis brachiis orare, ut ex Minucio Felice paulo ante didicimus, quod etiam tribuit Mosi et Jesu Nave Justinus contra Tryphonem, his verbis (1) : *Talis etiam fuit figura* (scilicet crucis) *Moysis manus expandentis et ejus qui post assumptum Jesu cognomen Amalechitas debellavit.* Sed de hoc more orandi obvia sunt apud veteres testimonia. Sic etiam picta est imago illa antiqua (ut ego judico, beatæ Virginis) in ecclesia S. Joannis minori, dicta vulgo *San Giovannino;* in qua eadem pictura parvæ illius absidis, videre est Christum porrigentem corpus suum discipulis, quod sumunt expansis vestibus. Postmodum fecerunt Beatam Virginem non amplius stantem (nisi in

enim esset hic de θεανδρικός quo primum tempore hoc vocabulum inductum sit in linguam græcam disputare et στήλη pro imagine sculpta sumptum; hoc alibi præstabo.

(1) § 112 Cf. etiam. § 111.



basilica S. Joannis) sed sedentem, et quidem aliquando ad dextrum latus filii, a quo coronatur; aliquando solam in throno suo, suppedaneo pedibus apposito (nam ejusmodi genus sedis proprie thronus est), non habentem filium in sinu et brachiis (1) : sed postea in parietibus

(1) Habet aliquando filium in gremio. V. Ciampini, *Vet. mon.* T. II., tab. XLIV, XLIX, LIII.

domuum et variis locis, cum filio puerulo tecto per totum, quem paulatim minus et minus tectum exhibuerunt, donec hodie plane nudum fecerint, quod alienum est a



mente antiquorum (1). Facies Beatæ Virginis in absidibus depicta satis accedit ad ea quæ ex Nicephoro supra attulimus, quibus ejus lineamenta ponit. Color vestis perpetuo in picturis est cæruleus, quanquam, si eidem Nicephoro credimus, fuerit qualis est lanæ nativus, non tinctus; ut olim utebantur tam viri quam mulieres, saltem mediocris fortunæ et conditionis. Ita enim de velo ejus refert idem historicus; quod velum non ei dede-

(1) Hic Macarius de picturis in absidibus ecclesiarum positis locutus, aliquid etiam addit de more pingendi B. Virginem cum filio. Quem vetustissimum esse demonstrant picturæ cœmeteriorum ante sæculum quartum, et in eo sæculo sarcophagi. Tametsi non semper tunica indutum puerum repræsentant sculpturæ vel picturæ : est enim ubi nudum videas in ulnis Beatæ Matris suæ : de quo dicam plene cum primum potero.

runt in picturis antiqui, sed vestem tantum, quæ tegit caput et reliquum corpus. Qua in re dicendum quod supra de veste Christi et apostolorum Petri et Pauli dixi, nempe eis datas vestes pretiosiores et splendidiores ad gratiam et decorem eis concilianda. Sic et in S. Venantio ad baptisterium S. Joannis Lateranensis, Beatus Joannes Baptista habet vestem egregiam, contra quam tulisse certum est; et in aliis etiam id videri potest. Adde et virgines beatas pingi vestibus auro et reliquo ornatu materiaque splendentibus, ut B. Lucina in ecclesia ab ea nominata, S. Martina in musivo absidis ecclesiæ ejusdem nominis, quod nunc ablatum est; B. Agnes in ecclesia illius nominis. Cujus rei ratio referenda ad id quod diximus, et forte etiam quod tali specie aliquando aliis apparuerint. Et quidem de B. Agnete Ambrosius (1) : « Dum parentes beatissimæ Agnes assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum ejus, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro intextis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant, inter quas vident beatissimam Agnem simili veste fulgentem, et ad dextram ejus agnum nive candidiorem. » En ipsa et comites auratis vestibus. In vita etiam S. Benedicti legimus, animam ejus post obitum visam a duobus monachis euntem in cœlum ornatam pallio pretiosissimo; et notatur ab aliquibus sanctos sanctasque ita depictos interdum, uti videndos se post mortem dederunt. Probandum igitur quod Ludovicus Vives, libro *De institutione feminæ christianæ*, c. 6, non

(1) L. IV. Epistol. ep. xxxiv, p. 277, 278, ed. Paris. 1642.

probat his verbis: *Quocirca non probo divam Virginem in sericis atque aureis amictibus depictam, gemmis atque unionibus ornatam, ceu his illa delectata esset, quum hic ageret. Nihil minus eam refert. Malim simplici cultu et quali erat uti solita.*

Conspicere est nonnunquam absidem in duas partes divisam, superiorem et inferiorem. In superiore Christum non totum sed dimidiata parte, quasi nubibus circumvolutum; in alia Beatam Virginem cum aliis sanctis additis (1). Cum autem posita Beata Virgine non divisa est absis, tunc tamen in vertice tholi absidis, est quiddam simile illi nubium ductui, e quo manus coronans porrigitur quando Christus ponitur: quem circulum diversicolorem vulgus Italorum vocat *gloriam*. Atque ita figuratum est corpus ipsius absidis et compositum, seu Christus, seu crux, seu Beata Virgo ponatur. Ubi vero absides Christum ferunt, solent habere limbum seu velut fasciam extremam totius operis, qui est ordo agnorum, in quorum medio est agnus major Christum significans, in altiori quodam velut tumulo positus, e quo erumpunt aquæ, et nonnunquam quatuor velut fontes, qui locus paradisi nobis dat effigiem. Videre est alicubi illum agnum majorem, habere coronam, qualem ad Christi caput diximus poni. Tandem hunc limbum agnorum excipit alter limbus et ultima fascia, in quo versus aliquot leguntur, qui quid, a quo, cui factum eleganter describunt. Qui versus diligenter observandi, ut notetur tem-

(1) Ut in S. Venantio. *Macar.* Cf. Ciampini, *Vet. mon.*, t. II, tab. XXXI.



pus quo quidque structum, atque ejus operis antiquitas sciatur. Et quia fere pontifex est qui ecclesiam aut fundavit aut instauravit, ex serie pontificum sciemus quam antiquum fuerit illud picturæ et musivi opus. Quæ res non parum facit ad verum de his picturis judicium ferendum. Porro fornici interiori qui claudit absidem, non deest suum musivum, coronario opere pertextum, in cujus summo aliquando nomen Christi literis græcis X et P inter se complicatis expressum, intra orbem quemdam seu circulum; aliquando nomen pontificis qui ecclesiam construxit, intra unius literæ compendium con-

tractum, ut *Paschalis PP.* [1], *Nicholaus* [2], sic enim quodam sæculo putarunt scribendum (1). Ita

1  2 

solebant et in bullis pontifices et antiqui etiam imperatores germani, nomen suum inscribere, ut de Carolo Magno et quibusdam post eum constat. In pontificibus autem mos fere usque ad postremum hoc sæculum. Sed et priori ævo omnes et Græci et Latini nomen suum ita contrahebant, ut sæpe videre est in fragmentis inscriptionum latinarum mediæ ætatis et græcarum. Quin et longe priori tempore, stante republica, aliquid tale in nummis consularibus observamus ut  Roma. Nec vero latera absidis siverunt inornata, sed quatuor illis animalibus quæ quatuor evangelistas significant, et senioribus illis de quibus in Apocalypsi, qui coronas exhibent et offerunt, condecorarunt.

Hoc pacto quoad universam faciem insigniora et majora, seu musiva seu picturæ absidum. Nam quædam minora sunt in quibus una tantum aut altera persona apponitur, ut in S. Agnete ipsa Agnes, in S. Cyriaco S. Laurentius, in S. Maria de Monticellis Salvator solus. Posteriorum temporum sunt musiva, quæ frontispicia ecclesiarum exornant, ut in S. Petro, S. Paulo, S. Maria majore, et alibi; in quibus nihil quod non fa-

(1) Rosweydus in notis ad Paulin. (p. 908, ed. Murat.) hunc Nicolaum primum putat: sed Ciampinius melius conjicit *Johannem*: cujus sententiæ auctoritatem ipsum monogramma tueri videtur.

Tertium monogramma, additum a Macario sustuli, nam pessime deformaverat; neque ego poteram emendare ut primum et secundum.

cile sit cognoscere, et statim e musivis absidum non intelligatur. De iis nihil statui dicere, quemadmodum nec de inferioris ævi musivis absidum; sed tantum de iis quæ in antiquioribus ecclesiis urbis Romæ conspiciuntur, quæ aliquot primis sæculis ubi Christi jugum subierunt imperatores, factæ sunt, ut constat. Quum autem Beatus Paulinus, qui illo sæculo commemorato fuit, mentionem faciat (*epistola* XII ad Severum) unius et alterius absidis in ecclesiis nolanis depictæ non absimili pictura iis quæ Romæ sunt, apponamus versus quibus eas describit et illustremus. Sic autem unam depingit (1) :

Pleno coruscat Trinitas mysterio
Stat Christus agno : vox Patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.
Pia Trinitatis unitas Christo coit
Habente et ipsa Trinitate insignia.
Deum revelat vox paterna, et spiritus
Sanctam fatentur crux et agnus victimam.
Regnum et triumphum purpura et palmæ indicant.
Petram superstat ipse petra Ecclesiæ
De qua sonori quatuor fontes meant,
Evangelistæ, viva Christi flumina.

Quam picturam elicimus ex his versibus? hanc credo. Picta erat in abside crux purpurea colore alta et ampla, ita ut spatium absidis fere impleret longitudine et latitudine, quæ tamen Christum affixum non habuit. Nam

(1) Epist. XXXII, p. 204 ed. Muratori.

si habuisset, id versus non tacuissent, cum cetera exprimant. Supra crucem in vertice, seu ut ita dicam, polo et tholo absidis, manus eminebat cum corona, quæ vocem Patris repræsentabat (1). Sub cruce erat agnus major, cujus pedes rupem superstabant, e qua quatuor flumina promanabant, seu quatuor torrentes prolabentes e quatuor partibus rupis. Supra caput agni erat columba, credo, expansis alis et advolans. Sed quid sibi vult

> Crucem corona lucido cingit globo ?

Id nimirum, circa crucem fuisse coronam, circa coronam columbas, quæ frequentia et copia globum fecisse possunt dici, et quidem lucidum ob splendorem e pennis emicantem et candorem corporis. Vel auctor vocaverit totam cum columbis additis coronam, globum lucidum, quod ei lucem conciliarint columbæ. Coronæ enim prioris, altera fuit columbarum corona, seu illæ fecerint circumquaque coronam alteram, seu certis tantum locis : satis enim constat circumpositas alibi fuisse, uti dicimus oratorem gaudere corona, id est viris astantibus. Atque hæ columbæ solæ fuerunt additæ ad apostolos denotandos, non ipsi apostoli ut intelligit Grætserus libro *De cruce ;* id enim clare versus sequentes docent :

> Cujus coronæ sunt corona Apostoli
> Quarum figura est in columbarum choro.

---

(1) Laudat hanc Macarii interpretationem Rosweydus in notis ad hanc epistolam Paulini, p. 908 ed. Murat., his verbis : « Sed Johannes Macarius ὁ μακαρίτης qui Romæ varia sacræ antiquitatis monumenta lustravit, auctor mihi est Deum Patrem expressum per manum e nube prodeuntem et Filium velut designantem. »

Id est, coronam cingunt columbæ, quæ significant apo stolos. Videamus et illud :

> Pia Trinitatis unitas Christo coït,
> Habente ipsa Trinitate insignia.

Id est tota Trinitas hic figurata est et convenit, suisque quælibet persona notis et indiciis clarescit. Insignia namque signa dicit, *Patris* vocem, *Spiritus* columbam. *Christus* sub agno est. Quid illud :

> Deum revelat vox paterna, et spiritus?

Hoc nempe, Christum Deum esse, et secundam in Trinitate personam, et Pater et Spiritus sanctus demonstrant. Quod vero sub *figura agni Christus* pingatur, inquit, et ponatur crux, id eo factum est ut humanitatem Christi notat in qua crucem passus. Sed moverit alicui scrupulum illud.

> Regnum et triumphum purpuræ et palmæ indicant.

Palmas quidem additas integras arbores esse arbitror, ut in aliis absidibus, non ramos. Sed ubi purpura? an in cruce color ille ruber et sanguineus quo picta erat, erit purpura? hujus coloris erat crux Balbiniana. E qua purpura Christus rex dignoscitur, e palma victor et triumphator. Sic cantat Ecclesia de cruce :

> Arbor decora et fulgida,
> Ornata regis purpura ;

nempe sanguine. Sed hi versus lucem accipiunt ab alterius absidis versibus, quos Paulinus adfert (1).

Sanctorum labor et merces sibi rite cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.
Ipse Deus nobis princeps crucis, atque corona
Inter floriferi cæleste nemus paradisi.
Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia leto.
Alite quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et rutila genitor de nube coronat.
Et quia præcelsæ quasi judex rupe superstat
Bis geminæ pecudis discors agnis geuus hædi
Circumstant solium. Lævos avertitur hædos
Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos.

Ecce eadem ferme, quæ describuntur alia in abside. Crux cum corona, *Inter floriferi cæleste nemus paradisi* id est inter duas palmas, quibus repræsentatur totus paradisus. Num ideo nemus, quia arbores? At quæ in hujusmodi musivis aliæ solent arbores poni quam palmæ? Prudentius etiam (*Cathemer.* hymno VIII, v. 46) dum paradisum describit, in eo palmas ponit, et nemus vocat, ut hic Paulinus :

Sed frequens palmis nemus, et reflexa
Vernat herbarum coma (2).

Inter palmas igitur erecta cruce cum corona (quæ crux et corona sunt ita conjunctæ, ut significent labori san-

(1) In epistola eadem ad Severum, p. 206 ed. Muratori.
(2) Laurus addit Prudentius in versibus seqq. :

Tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.

ctorum mercedem respondere) Christus Deus princeps crucis et coronæ, sub agno exhibetur, quia pro nobis victima fuit (1). Quem agnum Spiritus Sanctus sub alitis placidæ, id est columbæ specie, perfundit et permulcet



hiantem (2), id est, leniter diducentem os; quia super agni caput pingitur, cujus id est proprium. Quem pater coronat de nube, id est, cujus manus exserta de orbe quodam nubium coronam porrigit; ut ei cui omne in nos imperium mandat, et quem vult audiamus. Hoc ex Paulini loco disco, quam verum sit manum illam pro voce Patris, et, si vis pro ejus persona accipi. Nam et hic Trinitas in abside relucet, ut in superiore clarioribus verbis abside dicebat : *Pleno co-*

(1) Pastor bonus repræsentatur aliquando inter duas olivas, ejus etiam loco orantes piæ feminæ cernuntur. Sed palmæ symbola sunt ecclesiarum, nempe ex circumcisione et ex gentibus; de quo alibi dicam. Flores sedis beatæ Prudentius numerat in *Cathemer.* V. v. 113 seqq. :

> Illic purpureis tecta rosariis
> Omnis flagrat humus calthaque pinguia
> Et molles violas et tenues crocos
> Fundit fonticulis unda fugacibus, etc.

(2) Lingua exserta hiantem agnum expressit artifex christianus in bilychno quem hic delineatum sisto : editur autem in

ruscat Trinitas mysterio. Manus pro Patre, columba pro Spiritu Sancto, agnus pro Filio. Nec credam Josepho Scaligero dicenti in commentario expositionis cujusdam nummi Constantini, Patrem solere depingi per verba illa adscripta : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui;* nihil enim tale in absidibus, quæ etiamnum hodie remanent antiquissimo musivo exornatæ, cernitur (1). Sed manus illa passim, quæ quasi loquitur, hunc ego corono in regem et imperatorem vestrum : hunc audite. Sint ergo eadem, *Vox Patris cœlo tonat*, quod in superioribus erat versibus; *Et rutila genitor de nube coronat*, quod in hisce est; nec putemus priorem absidem habuisse verba Patris loquentis; hanc, dextram Patris coronantis. Porro agnus superpositus rupi (de qua credendum est quatuor fontes manare, quod explicuit in superiore abside) benigne aspicit a dextris positos agnos, et aversatur a sinistris hædos. *Quod facit licet agnus, tamen pastor noster, et judex*, ut inquit versus. Nec enim puto fuisse Christum in ea pictura sub alia forma quam agni, non humana judicis aut pastoris; sub qua pastoris forma, cum agnis tamen cernitur in quibusdam sarcophagis. Atque in eo differt hujus absidis dispositio

---

Tom. XXII. *Memoir. des antiquair. de France*, pl. V. In cujus explicatione aliqua bene posuit de Lasteyrie. Lucerna est agnus e cujus pectore fons olei scaturit lucem et sanctitatem largiens hominibus φωτισμῷ καὶ χρίσματι : id præstat ex passionis suæ merito quam crux figurat; hæc a divinitate ipsius, quæ per Spiritum sanctum in formam columbæ cruci insistentem declaratur, habet, ut possit satisfacere digne Deo.

(1) Hunc Macarii locum laudavit Rosweydus in Paulin. p. 909.

ab absidibus romanis, quod in limbo harum sint agni tantum, ibi agni et hædi. Et si vis adde inter utrasque, paulinianas et romanas, etiam hoc discrimen, quod illæ speciem expressam Trinitatis habeant, hæ non item, quod memini. Nec enim passim in romanis Spiritus Sanctus sub specie columbæ super agnum majorem, qui Christum notat, videtur; videtur tamen in S. Pudentiana, qui non deest in pauliniano opere. Nec scio quod fuerit antiquis alia ratio pingendi Trinitatem, quam quomodo Paulinus eam describit (1). Nec adhuc forte in usum venerat, personam Patris sub senis et antiqui dierum specie exhibere, ut jam aliquot sæculis factum. Et si alicubi primis illis sæculis Deus sub specie hominis grandioris natu cernitur, ut in quibusdam sarcophagis, ubi Abel et Cain offerunt sua munera sedenti cuidam barbato, non id statim necesse est trahere ad personam Patris. Nam et Filius in Apocalypsi sub specie cani senis apparet. Ait enim cap. I, 14: *Caput ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba, et tanquam nix.* Dici autem hæc de Filio convincunt hæc quæ sequuntur, ubi de se ait, I, 17: *Ego sum primus et novissimus, vivus et fui mortuus.* Convenit autem hic locus Apocalypsis, cum illo Danielis (VII, 9): *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana*

(1) Sarcophagus ingens nuper ex S. Pauli basilica in museum lateranense illatus Trinitatem ita exhibet, ut tres sint æquali figura et forma : harum quæ media est, sedet, Adamum ante se habens ex cujus latere Evam educit. Marchi, *Civ. Cattol.* a. 1854 p. 572, 573.

nunda. Nec mirum, cum et illud Isaiæ (VI, 2) : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant replebant templum : Seraphim stabant super illud*, et cetera, a Joanne Evangelista de Filio accipiatur (XII, 39-41) : Ubi ait : *Propterea non poterant credere quia iterum dixit Isaias : excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum, ut non videant oculis et non intelligant corde et convertantur et sanem eos. Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam ejus* (Christi) *et locutus est de eo*. Sed hæc accuratius pertractare non est hujus instituti; obiter tangenda tamen, ut sciremus quod sicubi reperiatur in picturis antiquioribus, quæ historiam aliquam veteris Testamenti continent, persona senior Deum repræsentans, non id statim ad Patrem trahendum, imo potius ad Filium, si attendamus quæ fuerit veterum etiam gravissimorum Patrum sententia, veteris Testamenti apparitiones fuisse sub persona Filii : quam forte tum sequebantur pictores (1) et Prudentius etiam suis in *Apotheosi* v. 11, sqq. carminibus inclusit :

Ille Pater, quem nulla acies violenta tuendo
Eminus ardentis penetravit acumine visus ;
Qui se forma hominis non induit et deitatis.
Immensum adsumpto non temperat ore, modove.
Aut evangelici pietas sperueuda libelli
Jam, blaspheme, tibi est, aut nunquam visa beati
Vis intacta Patris, non admiscenda caducis.

(1) Opponere tamen possum imberbem adolescentem qui medius inter Adamum et Evam in sarcophagis apparet : dum prope barbatus sedens fingitur, cui Abel et Caïn offerunt munera. Hic monere sat est, alibi tractandum suscipiam.

Sed tamen et Patris est specimen, quod cernere fas sit.
Humanis aliquando oculis concurrere promptum
Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco
Humentique acie potuit nebulosus adire.
Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit Natum. Nam Filius hoc est
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species, quas posset homo comprendere visu.

Quare et in picturis creationis mundi, persona creans potuit ab antiquis Filius repræsentari, cum verbo Domini cœli firmati sint. Sed hæc satis in Paulinianas absides.

Præter absides earumque latera, et arcum majorem ecclesiæ a presbyterio gremium separantem, exornabant etiam picturis veteres alium locum, ambos parietes erectos supra columnas aut pilas in longitudinem navis ecclesiæ protensas. In quorum uno, ab ingressu ecclesiæ dextro, erant veteris Testamenti historiæ a creatione mundi præcipuæ; in sinistro, novi Testamenti. Hos parietes ita pictos videmus in nonnullis adhuc ecclesiis romanis, S. Cæcilia, S. Eusebio, S. Eustachio; et omnium splendidissime in Basilica S. Mariæ majoris, ubi musivi sunt operis omnis historiæ atque omnium numerosissimæ, atque hoc ipso notandæ quod earum fit mentio in concilio septimo universali de imaginibus habito (1).

(1) In actione IV concilii generalis septimi, Petrus et Paulus vicarii Hadriani Papæ narrant picturas in basilica Salvatoris a Constantino positas opere musivo, quibus veteris et novi Testamenti historiæ continebantur. In basilica S. Mariæ majoris Xystus Papa in arcus mediani facie novi Testamenti historias repræsentavit (V. Ciampini, *Vet. monim.* I, p. 206); et veteris Testamenti

Meminerunt etiam auctores usus pingendi in ejusmodi parietibus. Paulinus, *Natali* IX S. Felicis, v. 511, sqq. :

> Nunc volo picturas fucatis agmine longo
> Porticibus videas, paulumque supina fatiges
> Colla, reclinato dum perlegis omnia vultu.
> Qui videt hæc, vacuis agnoscens vera figuris,
> Non vacua fidam sibi pascet imagine mentem.
> Omnia namque tenet serie pictura fideli,
> Quæ senior scripsit per quinque volumina Moses,
> Quæ gessit Domini signatus nomine Jesus.

Et post nonnulla, v. 528, sqq. :

> Jam distinguentem modico Ruth tempora libro;
> Tempora judicibus finita, et regibus orta,
> Intentis transcurre oculis.

Erat et scriptura apposita quæ indicaret, quæ historia suis locis picta esset, v. 580, sqq. :

> Propterea visum nobis opus utile totis
> Felicis domibus pictura illudere sancta :
> Si forte attonitas hæc per spectacula mentes
> Agrestum caperet fucata coloribus umbra
> Quæ super exprimitur titulis ut littera monstret
> Quod manus explicuit.

Quod vero ait, *totis Felicis domibus*, intelligo circumquaque per parietes domus et basilicæ S. Felicis, ut hoc explicet quod supra dixerat, *fucatis porticibus*. Nec velim quis ibi existimet porticus quasdam extra ecclesiam designari. Namque apud Paulinum, latera mediam navem ecclesiæ utrinque claudentia, porticus solent no-

---

picturis ornavit porticus utrasque, dextram et sinistram (V. Ciampini, *Vet. monim.* I, p. 211 seqq.) de quo meminit Macarius p. 53.

minari, etiam in prosa; ut epistola ad Severum XII: *Totum vero extra concham basilicæ spatium, alto et lacunato culmine, geminis utrinque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur.* Ita etiam alibi; sed in basilicæ Paulini parietibus, veteris Testamenti gesta erant depicta, non novi. S. vero Nilus, epistola ad Olympiodorum citata in VII synodo, actione IV, monet utrumque Testamentum esse picturis exhibendum, his verbis: « Scribis mihi num decorum putem, cum in animo habens templi ædificationem in honorem SS. Martyrum ejusque qui per eorum testata certamina, labores et sudores, prædicatus est Christus, ut imagines in loco sacro omnigenarum animantium, per parietes undique fieri cures; has quidem a dextra, illas vero a sinistris, quo spectatores, casses, apud eosque lepores, et capreas circumcursantes, venatoresque fugientia animantia velociter cum canibus insequentes videant; in mari vero emissa retia, omne genus piscium captum, in terram piscatorum manibus eductum; præterea ex gypso omne quod oculos pascere potest effectum contempletur. Nequaquam. Sed in vulgari domo mille cruces figi, quam historiam avium, jumentorum, et serpentium germinumque malim. Ego vero sic ad scripta respondeo, puerile plane esse et stultum ejusmodi rebus fidelium oculos fascinare velle. Debet enim esse firmæ et virili sententiæ genuinum, in loco sacro ab oriente sanctissimi templi unicam et solam effigiari crucem. Per solam enim crucem salutiferam genus humanum liberatum est, perque hanc desperabundis undique spes annuntiatur. Verum novi et

veteris Testamenti historiis hinc inde parietes templi repleri doctissimi pictoris opera velim; quo scilicet hi qui litteras non norunt, neque sacram Scripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant quinam germane vero illi Deo per fortia facta servierunt, atque in certamen excitentur gloriosorum et laudatorum facinorum, per quæ cum cælo terram commutarunt; venerantes scilicet per contemplationem ea quæ non viderunt. » Quibus verbis Nicææ in synodo lectis, subjecerunt vicarii Hadriani Papæ : « Tale etiam qui nunc in Deo quiescit, Joannes olim fecit. Nam cum templum Romæ Salvatoris exstrueret, in utroque pariete templi historiam veteris et novi Testamenti inscripsit. Hinc quidem Adam exeuntem paradisum, illinc vero latronem paradisum ingredientem; » et reliqua.

Quæ vero essent præcipuæ historiæ quæ pingerentur, et oculis notamus in iis parietibus, qui adhuc picti sunt : atque utinam in basilica S. Mariæ majoris ipsa musiva parietum se proderent ac manifesta redderent, ut picturæ in aliis parietibus : nam intuentibus vix possunt dignosci ; nec si quis in pavimento stet, nisi subobscure ; nec si quis superius per viam illam quam *regulam* antiqui nominabant. Scio aliquos ibi stantes nihil potuisse distinguere, cum tamen avidi essent et studiosissimi internoscendarum imaginum. Prudentius opusculum per quaternos versus de veteri et novo Testamento composuit, quorum tituli procedunt eodem fere ordine, quo picturæ parietum , ut ego notavi, præsertim in principio per aliquot numeros; quod opus non diptychum vocandum, sed dittocheum, Obertus Gifanius monet in an-

notationibus adjectis ad Lucretium; quæ vox corrupta fuerit ex diptycho (1) : cujus vim si explices, dicas esse duas paginas; atque ita duo parietes instar duarum paginarum se habent. In manuscripto quodam Prudentii, pro titulo hujus opusculi, inter alia reperi : *seu historiarum tituli;* quod mire proposito nostro convenit, nam picturæ singulæ in parietibus illis, historiæ vocantur a scriptoribus. Supra autem monui, fuisse adjectam ad singulas picturas declaratiunculam, quæ

---

(1) Testificatur Arevalus (in Prudentium p. 666) *Dittochæum* in vetustioribus codd. se invenisse; *diptychum* sive *diptychium* nusquam : « Prisca manu in scriptis nusquam reperi inscriptionem Diptychon seu Diptychion ut restituendum suspicatus est Gifanius, indice Lucretii p. 359, verbo *mare magnum.* » Nihilominus Veitzium citat qui in codice forte Goldasti *Diptychon* legerit (adde Obbarium (in ed. Prud. an. 1855), qui repperit in duobus codicibus *Diptychon*). Arevalus igitur retinet cum Aldo *Dittochæum* Διττοχαίον, quam lectionem, vel paulo immutatam, *Dirrocheum* exhibent exempla vetusta; videtque (p. 668), quod hic Macarius, titulos fuisse picturis ecclesiarum accommodatos a Prudentio. Interpretationem vocis novam non tentat; sed Aldum prodit qui duplicem cibum significari hoc vocabulo docuit ex διττὸς duplex et ὀχή cibus, in eaque stat : nam. p. 688 scribit : « Ex eodem Paulino intelligitur cur duplicis Testamenti pictura duplex cibus sive dittochæum possit appellari :

Qui videt hæc vacuis agnoscens vera figuris,
Non vacua fidam sibi pascet imagine mentem »

Verum *Dittochæum* scriptum invenit Gifanius in veteribus libris et in Gennadii Vita Prudentii et *dirrocheum* alii codices vel glossæ codicibus additæ referunt; diphthongum intulit Aldus. Ego Aldi conjecturam de vocis etymo non probo : sed vocabulum derivo ex διτταχῆ *in duobus locis,* ut sint picturæ super porticus basilicarum dextram et sinistram; corrigo igitur *Dittacheum,* διττάχειον.

potuit aliquando versibus subjectis fieri. Quem in usum forte Prudentius sua tetrasticha composuerit. Nec hoc objiciat quis quod tituli veteris Testamenti sunt XXIV, novi autem XXV. Qui tamen pares numero debebant esse priori paginæ, nec eorum excedere rationem; ut pagina diptychi paginæ responderet, et paries parieti. Cui respondeo me in manuscripto reperire novi Testamenti titulos tantum XXIV, nec enim titulus sepulcri Christi ibi est, qui in excusis cernitur; quare omnia paria utrobique (1). Non immorabor autem in parietum hisce picturis et recensendis, et minutatim quomodo pingantur explicandis, atque ita patefaciendis ut statim agnoscatur quas historias signent; tum quod satis claræ sint picturæ alioqui, et si quid ad rationem antiquitatis sit, illud vel ex superioribus satis illustratum sit vel illustrabitur ex iis quæ de aliis picturis dicemus. Solum monebo illud, primum picturæ campum habere creationem mundi, in quo illi duo qui in ovali rotunditate gemina videntur, una furva, altera lucida, sint angelorum inter se decertantium duces, atque adeo bo-

(1) Est titulus XLIII, de quo noster Arevalus : « Tetrastichon XLIII deest in Aldo, Torr. et in multis codd. mss. » Versus hi non videntur Prudentiani idcirco omittuntur in editione Obbarii. Hic p. 305, in nota affirmat raro sepulcrum Christi et monumentis et carminibus a vett. Christianis celebratum, et nos Arevalum conferre jubet. At Arevalus contra : « Constat nihilominus ex antiquis monumentis sepulcrum et resurrectionem pingi et sculpi olim consuevisse : » Re vera ego non vidi repræsentatum Christi sepulcrum vel resurrectionem neque in sarcophagis neque in picturis cœmeteriorum, neque in opere musivo aliquo Ecclesiæ priscæ.

nos et malos exprimant angelos, hos ab illis cælo deturbatos (1). Eo facit B. Augustinus, qui illud *divisit Deus lucem a tenebris*, interpretatur de bonis et malis angelis, pluribus locis. In eodem campo ponitur agnus. Sed quid agnus ad creationem mundi hujus plene repræsentandam? An quod vellent docere pugnam illam spirituum fuisse quod dux malorum appeteret unionem hypostaticam Filii Dei, quam revelatione divina prævidebat humanæ naturæ præparatam; atque ideo in pictura Dei Filius sub forma agni ponitur, præsentibus ducibus utriusque exercitus. Columbam ponunt super aquas, ut significent quod spiritus Domini ferebatur super aquas.

Reperio etiam in lateribus parietum inferioribus fuisse sententias scriptas, e sacra Scriptura petitas, cujus rei me admonet B. Ambrosius qui ad virginem lapsam ita : *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in ecclesia stabas, recordari debuisti; ad quem religiosæ matronæ et nobiles currebant tua oscula petentes, quæ sanctiores et meliores te erant? Nonne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, recordari debuisti? Divisa est mulier, et virgo quæ non est nupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore et spiritu.* Beatus vero Paulinus suas

(1) Ciampinus, qui repertum in bibliotheca Barberina edidit, incipit ab historia Melchisedec. (*Vet. monim.* T. I, tab. L, p. 212).
In æde Salvatoris, Romæ, Adami exilium dextra in porticu initium historiarum fuit, et in sinistra latronis ingressus in paradisum postremo loco repræsentabatur; ita Petrus et Paulus in actis concilii VII testantur.

basilicas nolanam et fundanam non solum in abside et lateribus videtur ornamento picturarum decorasse, sed etiam aliis locis, uti in epistola ad Severum ait « signum Domini super ingressum basilicæ pinxisse, atque id corona quadam circumseptum, ut ex versibus appositis constat. » Et infra in basilicæ cujusdam novæ similiter ingressibus, « dextra lævaque cruces minio superpictæ erant, » inquit. Et natali decimo S. Felicis meminit cellarum quarumdam, quas ad basilicas adjunxerat et sanctis depictis ornaverat. Versus ejus sunt (15, sqq.) :

> Inter quæ et modicis variatur gratia cellis
> Quas in porticibus qua longius una coactum
> Porticus in spatium tractu protenditur uno,
> Appositas lateri tria cominus ora recludunt;
> Trinaque cancellis currentibus ostia pandunt.
> Martyribus mediam pictis, pia nomina signant
> Quos par in vario redimivit gloria sexu.
> Ad geminas quæ sunt dextra lævaque patentes
> Binis historiis ornat pictura fidelis
> Unam sanctorum complent sacra gesta virorum
> Jobus vulneribus tentatus, lumine Tobit.
> Ast aliam sexus minor obtinet, inclita Judit;
> Qua simul et regina potens depingitur Esther.

Atque hæ sint ecclesiarum picturæ (1).

(1) Non est prætereundum a Sidonio Apollinari versus sæpe factitatos, ut in parietibus ecclesiarum novarum insculperentur. Cf. L. II. ep. 10, p. 505, ed. Sirmond. Venet. : « Ecclesia nuper exstructa est Lugduni. Hujus igitur ædis extimis tumultuarium carmen inscripsi : » Et L. IV, ep. 18 : « Hujus meæ basilicæ (S. Martino dicatæ), parietibus inscribere supradictus sacerdos hoc epigramma compellit. »



C. II. — *De picturis Cœmeteriorum.*

Alius pingendi locus cœmeteria vetera erant, quæ Romæ locis suburbanis ducta subterraneis cuniculis per longissimas vias et diverticula varia quaque versus, speciem urbis suis viis dimensæ præ se ferebant et magnitudine spatii æquabant; imo sæpe vincebant mediocres urbium; harum enim cryptarum non conficiet iter quis interdum sex aut septem horis. Et Romæ quidem de quibus præcipue loquor per omnium collium urbi vicinorum amplitudinem reperiuntur; ut quod Plinius dixit de urbe ipsa *totam esse pensilem*, ita de suburbanis colliculis esse omnino pensiles et perforatos vere possimus dicere. Quod fatentur et ita cognoscunt ii, qui locis editioribus prope urbem habent vineas aut prædia rustica; qui dum ad cellam penuariam aut puteum habendum, aut aliud tale fodiunt, incidunt in partem cœmeterii, ac sibi vendicant totam eam partem quousque protenditur eorum prædium; et alioqui per agrum romanum multa sunt foramina, quæ in cuniculos illos dant ingressum. Hæc sunt quorum tam frequens mentio in martyrologiis, ubi præsertim fit memoria sancti alicujus Romani, qui quo cœmeterio sepultus sit, notatur : hic Callisti, ille Calepodii, aut Prætextati, aut Priscillæ, aut aliorum; nam varia sunt nomina, uti varia loca de quibus, quod huic rei de qua agimus facit, solum dicam habere sepulcra non humi, et in solo quod calcatur pedibus ingredientium per ea, sed ad latera sua excavato tantillo spatio in longum et latum, quantum

capiat ipsum mortui corpus; quod deinde tegitur tabella vivi aut cocti lapidis, calce inducta iis locis ubi tabella terram attingit et locum claudit. Qua in tabella, præsertim si fuerit e vivo lapide, fere inciditur unum aut alterum verbum in memoriam ibi jacentis, addita aliqua figura columbæ aut alterius rei in signum et notam.

Præterea, non semper æque angusto ductu procedunt illi cuniculi (nec enim fere latiores sunt quam ut duo simul possint incedere), sed alicubi in sacelli formam dilatantur ab utroque latere et nonnunquam ab uno. Quo loco reperiuntur picturæ circumquaque, et humi interdum arca sepulcralis marmorea, insculptis historiis et rebus ad fidem nostram pertinentibus. Nam ejusmodi latiora spatia credo destinata fuisse ditioribus humandis et nobilioribus. Quo fit ut recondantur etiam non vulgari more ad latus cuniculi, sed singulari loculo egregie fabrefacto, ut totus locus pictura exornetur. Qui loculi et arcæ inde eductæ reperiuntur integræ in ædibus sæpius privatis intra urbem et extra, ad excipiendam aquam, ad puteos et fonticulos repositæ; nonnullæ in templis, ut in S. Sebastiano, cernuntur ad novum corpus reponendum adhibitæ. Aliquarum pars, et præcipue tota facies sculpta, muris inserta reperitur aliquot locis. Nec silebo nomina quibus solebant eas arcas nominare christiani illius temporis; et græce quidem invenio partim κοιμητήριον, quasi *dormitorium*, quod latinum fecimus, ad totum locum vocandum in quo corpora sepeliuntur et quasi *dormitionem mortis* habent; sic enim est in una arca ad S. Ambrosium in maxima Roma :

ΚΟΙΜΗΤΗΡΙ
ΟΝ ΤΟΥΤΟ
ΩΚΤΑΒΙΛΛΗ
ΤΗ ΙΔΙΑΙ ΓΥΝΑΙΚΙ
ΛΑΥΔΙΚΙϹ

partim κατάθεσιν, id est *depositum*, sive *depositorium;* quod in eo depositum sit corpus quod suo tempore recipiatur in resurrectione, ut in hac inscriptione.

ΚΑΤΑΘ·
ΠΡΙΝΚΙΠΙΟΥ
ΠΡΟ·Ζ·ΚΑΛ·
ΟΚΤѠΒΡ·
ΘΕΟΔΩΡΑϹ×
ΠΡΟ·ΔΕΙΔ·ϹΕΠΤ[e]

Nam illud καταθ abbreviatum est pro κατάθεσις (1) : et κατετέθη, pro *depositus est*, reperias in inscriptionibus christianorum græcis. Latine video sarcophagum appellari, quæ vox gentilium etiam prius fuit. Juvenalis, *Satyra* x, v. 171 : *Sarcophago contentus erit.* Ante eum Varro: *Sarcophagus arca dicitur.* Macer, lib. 7, *de Religios. et sumptu funer.: Pretium loci in quo defunctus humatus est, et signa sunt vectigalia et sarcophagi.* Gratianus Valentinianus Theodosius Imppp. : *Omnia*

(1). Sarcophagi inscriptionem, quam recte Macarius interpretatur, vide in Bottarii tabula LXXXVII. In ms. bis Κατθ exhibet Macarius (item Winghius ms. epigr. p. 43), quod ad Bottarii exemplum correxi.

quæ urnis clausa, vel sarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur(1). Apud Plinium, lib. 36, cap. VII, est genus lapidis : *Sarcophagus lapis*, inquit, *fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra XL diem.* Christiani tandem eam vocem non respuerunt. Augustin. lib. XVIII *de Civit. Dei*, c. V : *Arcam in qua mortuus ponitur, omnes jam sarcophagum vocant.* Prudentius, *Cathemer.* Hymn. II, sub finem, v. 201, sqq. :

> Spes eadem mea membra manet
> Quæ redolentia funereo
> Jussa quiescere sarcophago
> Dux parilis (2) redivivus humo
> Ignea Christus ad astra vocat.

Idem auctor tabellas sepulcrales, quarum supra memini, pulchre describit hymno Hippolyti ad Valerianum (3) :

> Innumeros cineres sanctorum romula in urbe
> Vidimus, o Christi Valeriane sacer
> Incisos tumulis titulos. Et singula quæris
> Nomina? Difficile est, ut replicare queam.
> Tantos justorum populos furor impius hausit,
> Cum coleret patrios troia Roma deos,
> Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
> Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
> Sunt et multa tamen tacitas claudentia tumbas
> Marmora, quæ solum significant numerum.
> Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
> Nosse licet, quorum nomina nulla legas;

(1) Cod. Theod. IX, 17, c. 6, de Sepulcr. viol.

(2) Codd. tres et Aldus, *parilis;* lege tamen *parili.*

(3) XI, *Peristeph.* initio.

Sexaginta illic defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum.

Incisos tumulis titulos intelligo, vel id quod subjungit, nomen martyris (quanquam et aliorum qui non martyres); aut inscriptionem aliquam latiorem, quam hic epigramma nominat, pro ἐπιγραφή credo : nec enim necesse est ut illud inscriptum, fuerit carmen. Versus enim ibi rarius reperiuntur, vel totam illam tabellam claudentem latus excavati loci, inscriptam nomine quiescentis, aut pluribus verbis, titulum esse dicito. In sepulcris enim gentilium, tabellam sepulcralem agnosco *titulum* vocatam. Ut hic (1) :

RVTILIAE
PRISCILLA *sic ms.*
DOMO ALTIN
VIX·AN·XXIX
M II D XIII
L·IVNIVS
AVITVS
OPTVMAE
CONIVGI
CVM QVAVIX
AN·IX·DVLCIT
SINE VLLO
DISCRIMIN
HVIC TITVLO
CEDVNT QVOQ
PEDESQ BIN

(1) Erat apud Angelum Breventanum, *Macar.*

Illud PEDESQ. BIN. lego *pedes quadrati bini.* Locus autem quem describit Prudentius est cœmeterium S. Cyriacæ in agro Verano ad S. Laurentium; et qui ingressi sunt, retulerunt mihi se vidisse ibi notas LX quæ significant tot illi reconditos confuse. Quod raro tamen fiebat ut uno spatio multa corpora concluderent. Nam ut id obiter addam, volebant illi priores christiani, quantum fieri poterat, jacere distincti et singulares; ideoque excavabant a latere locum tanquam armarium aut loculamentum aliquod, qui corpori uni capiendo satis esset. Interdum parabant duobus, eumque vocabant BISOMVM, quasi δίσσωμον; et etiam tribus, quod TRISOMUM in inscriptionibus tabellarum reperitur dici; ita tamen ut corpus corpori adjaceret, non superponeretur. Quo fit ut cum latera viarum factarum sive cuniculorum, corporibus essent occupata, semper ulterius viæ extenderentur, et laxarentur spatia sepeliendi. Quod tangit B. Ambros., lib. *Officior.* 1, c. IV: *Nemo potest indignari quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt.* Hodie cœmeteriorum nostrorum manent eadem spatia, quod corpus corpori superponatur et quasi commisceatur. Quod non appetebant prisci, adeoque ne terra quidem operiri, quod mallent vel intra arcam, vel spatium simile arcæ recondi, atque ita facerent ut jaceret quidem corpus tergo applicatum terræ, sed reliqua omni parte nihil ejus contingeret; atque ita velut impermixtum terræ, maneret integrum et inviolabile, ut in antiquis illarum sepulturarum loculis videre est. Quam autem studiosi servandi corporis integri essent, etiam id documento esse potest, quod ignibus absumi nollent sua corpora,

ut paganus ille objicit christianis apud Minucium Felicem, his verbis: « Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas adstruunt et annectunt; renasci se ferunt post mortem, et cineres et favillas, et nescio qua fiducia, mendaciis suis invicem credunt. Putes eos jam revixisse. Anceps malum et gemina dementia. Cælo et astris quæ sic reliquimus, ut invenimus, interitum denuntiare; sibi mortuis, extinctis, qui sicut nascimur et interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet et exsecrantur rogos et ignium sepulturas. Quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et ætatibus in terram resolvatur, nec intersit utrum feræ deripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat; cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit, si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate, medicina. Hoc errore decepti, beatam sibi ut bonis et perpetuam vitam mortuis pollicentur, ceteris ut injustis pœnam sempiternam. » Tertullianus etiam, de corona militis : « Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari a tuba angeli expectat; et cremabitur ex disciplina castrensi christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit! » Et de resurrectione, in principio : « At ego magis ridebo vulgus tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit. » Terra autem Romanorum collium intestina prope urbem aptissima est, ut intra eam cuniculo jam facto, a latere spatium optime corpori reponendo excavetur, nec tamen concidat, sed velut in saxo scindas, ita hæret immota. Tophus enim intra viscera ejus, atque ideo perducendis cœmeteriorum viis subterraneis commoda, si qua alia,

quod excavata seipsam sustentet, nisi paucis locis ubi fuit opus adhibere modici parietis adminiculum; fornices cuniculorum excisi e topho per se stant, nullo alio sustentaculo quæsito. Quare si quis loculos illos corporum, deposita tabella, quæ unum latus claudit, aperiat, inveniet corpus propemodum forma priori, nulla terra oppressum; sed ad contactum in cineres dilabitur, ubi aerem novum experitur. Hoc genere sepeliendi gaudebant veteres, saltem Romæ. Viæ autem illæ cœmeteriorum cæcæ erant, et perpetuo tenebricosæ, nec eo sine lumine ibatur. Quanquam sunt et quæ foramina quædam ad superne lumen recipiendum habebant, quæ describit Prudentius in Hippolyto, c. XL :

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
  Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis,
  Ire per anfractus luce latente docet.
Primos namque fores summo tenus intrat hiatu,
  Illustratque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
  Nox obscura, loci per specus ambiguum;
Occurrunt cæsis immensa foramina tectis
  Quæ jaciunt claros antra super radios :
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
  Arcta sub umbrosis atria porticibus;
Attamen excisi subter cava viscera montis
  Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
  Cernere fulgorem, luminibusque frui.

Meminit et Beatus Hieronymus horum foraminum, et faciem cœmeteriorum paucis describit in Ezechielem, ad illud c. XL, 5 : *ecce murus forinsecus : Dum essem Romæ puer*, inquit, *et liberalibus studiis erudirer, solebam cum*

ceteris ejusdem ætatis, et propositi, diebus dominicis, sepulcra apostolorum et martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum. Et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur, descendant in infernum viventes; et raro desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram quam foramen dimissi luminis putes; rursumque pedetentim acceditur, et cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur: Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent. Per parietes autem intelligit B. Hieronymus latus cuniculi e topho naturali compactum, quod vicem parietis habet, ut modo dixi. Quod autem addidit, eos qui loca illa ingrediuntur, quasi in infernum vivos descendere, verissimum esse, dictum est mihi ab iis qui secundum sub primo, et tertium sub secundo viarum cæcarum ordinem illarum ingressi sunt. Quibusdam enim locis sunt tristega, per terna velut tabulata cryptæ perfossæ. Sed de forma horum locorum satis, ut sciamus quid tabella sepulcralis, et ubi cernatur, ubi sarcophagi et picturæ; in quibus et sarcophagorum sculpturis ita versabor percensendis, ut observem quomodo unumquodque et pictum et sculptum sit, et quam horum quodlibet historiam contineat, et an hodie ab eo pingendi usu recesserimus. Omnia ergo quæ plurimis personis sculpta pictave sunt, dividam in historias veteris et novi Testamenti. Atque e veteri quidem Testamento modo isto constituta cernuntur.

Adam depingunt non alio modo quam hodie: serpen-

tem circumvolutum arbori poma ferenti et quidem rotunda, licet Isidorus Pelusiota traditum referat a majoribus arborem transgressionis fuisse ficum (1); Adam et Evam nudos hinc inde, manibus ad verenda appositis, subjectis foliis.

Abel et Cain in sarcophagis varie ponuntur. Modo enim sedens quidam senior est, qui in sinu tenet aliquid uvarum. Adstat Cain a sinistra (quod nota), Abel a dextra qui tenet agnum. Quandoque ponitur ille idem sedens, sed Cain offert illi manipulum frugum; Abel portat super tabella agnum. Quo alludit Prudentius *Peristeph.* X, 126, sqq.

> Perventum ad ipsum cædis implendæ locum
> Natum gerebat mater amplexu et sinu
> Ut primitivum crederes fetum geri
> Deo offerendum sancti Abelis ferculo
> Lectum ex ovili puriorem ceteris.

Ecce tabellam cum agno, *ferculum* vocat. Quod ad senem illum, reperio qui senserit Deum corporali specie apparuisse Abeli et Cain, Basilium Seleuciæ episcopum, oratione de Abele et Cain. Βλέπε, inquit, πολυειδῆ καρπὸν ἐντεῦθεν ἀναφυόμενον: καὶ πρῶτον ἐκ φιλανθρωπίας σωματικαῖς ἐπιφανείαις ἀνθρώποις συγκαταβαίνοντα. *Vide multiplicem fructum hinc (ex hac historia) exsurgentem. Et primum (Deum) benignitate sua corporali apparitione condescendentem hominibus.* Aliquando absque sene,

---

(1) Ficum depictam sistit Tabula XXII, vol. II in recente collectione Perreti architecti, *Catacombes de Rome*, Paris, 1851.

stant vicini. Abel specie pastoris cum baculo sinistra, dextra agnum pede contingentem terram habens; Cain vero indutus toga, portat supposita manu togæ modice elevatam sportulam, cujus summum alia manu premit. In Junii Bassi sarcophago, meo tempore ad confessionem S. Petri reperto, Abel sedet super saxo ut pastor, stat Cain astante alio quasi adjutore aut spectatore, cum ligneo fuste, rotundo capite ad modum clavæ aut mallei, veste talari et podere indutus, cum pileolo in capite, averso vultu. *Fustis* autem capitatus ei datus, quasi eo occiderit fratrem (1). Pictores nostri temporis mandibulam dant ipsi Cain alicujus quadrupedis. Prudentius in præfatione ad Hamartigeniam, v. 16, ita de Cain: *Germana curvo colla frangit sarculo.* Sarculum autem hic ligonis species, qui ei tribuitur quod fuerit agricola. At cur talari veste Cain, ut sæpius, aut toga pingitur indutus? an quia primogenitus, atque ita digniore veste? Est ubi videas ad Adam manipulum frugum, ad Evam agnum erectum (2). Est ubi, prope serpentem offert

(1) Bosio, *Roma sotterr.*, l. II, c. VIII. Cain hic talari indutum et fuste ligneo armatum figurari non recte iudicat Macarius. Est Job saxo insidens, adstante uxore, quæ fœtorem pestilentem aversata, manu sinistra pallio nares obstruit, interim dum colo, puta vinario, mariti sui frontem pertundere se velle minatur.

(2) In eodem sarcophago Bassi. Alibi inter Adamum et Evam medius Jesus Christus exhibetur, qui Adamo manipulum, Evæ agnum tradit; nempe viro agriculturam, uxori pastoriciam vitam assignat. Hoc miror neminem adhuc vidisse. Eodem sensu Cain colonus fruges et uvam, Abel pastor ovem portat (Aringhi, l. IV, c. XXV, 72, ed. Paris.).

quidam super aram (1). Quibus, aut brevitatis studio tota historia innuitur, aut saltem eorum oblatio diversa, quam secuta est invidia et cædes, quod non omittitur in Juniano sarcophago, etiam si alio loco cædes Abelis ponatur. In lateralibus picturis ecclesiarum ponitur ara magna, ad quam igne succenso Abel et Cain stantes simili uterque modo induti elevant sua munera, hic sportulam, ille agnum. Hinc colligas veteres quosdam existimasse uvas a Cain oblatas, alios spicas : quanquam Scriptura vocet Cain agricolam.

Dum Noe in arca volunt intelligi, in sarcophagis et cœmeterialibus picturis, apponunt arcam quadram, e qua Noe se promit et medium ostendit, non procul addita columba cum ramo, quam aliquando sine ramo apprehendit, non ut pictores nostri, qui pro arca faciunt navem repandam. In lateralibus ecclesiarum picturis ostenditur arca longior cum operculo superiore, quandoque semioperto, ut videantur quæ inerant velle egredi; quandoque plane clausa, ut adhuc fluctuans. Est quando dubites, arcane sit an suggestum (adstant auditores); nam affingunt illi quadratum dorsum quoddam erectius, et ad quod reclinet se qui verba facit (2).

(1) Aringhi, l. II, c. x, p. 83 qui interpretationem se assecutum non esse fatetur : « Vir ille juxta aram exsistens qui panes quinque serpenti veluti porrigit cujusmodi et quisnam sit haud facile fuerit conjectare ». Verum Danielem ibi repræsentari scias, qui offa objecta draconem necat (Dan. VIII, v. 27) : Ἐποίησε μάζας καὶ ἔδωκεν εἰς τὸ στόμα τοῦ δράκοντος, καὶ φαγὼν διεῤῥάγη ὁ δράκων.

(2) Quadratum dorsum, arcæ operculum puta. Ubi adstent

Abraham offerens Isaac dum exhibetur, apposita ara more gentili fabrefacta in qua ignis, læva pueri caput tangit, dextra gladium attollit, qui retinetur a manu quadam in aere. Dum satellites hinc inde accipiunt quemdam et velut captivum abducunt, videndum an Joseph sit qui in carcerem conjectus ob servatam pudicitiam, an alius quispiam. Ubi nota sub cingulo satellitis appensum ficus aut vitis folium, ut in Juniano sarcophago, et quodam alio; quod forte tunc satellitum erat signum ut ab aliis dignoscerentur (1).

---

auditores, Christum vel apostolum vel apostolicum virum aliquem repræsentari in cathedra sedentem arbitror. Sed cathedræ anterior pars ubique aperta exhibetur, arca Noemi undique tabulamentis munitur.

(1) Aringhi, l. II, c. x, p. 177. Sarcophagus Bassi primo loco Petrum captum sistit, secundo loco eumdem, cum ad supplicium trahitur, manibus vinctis post tergum (cf. p. 195). Aliquando a Judæis captus repræsentatur ut p. 199 (cf. Bottari tab. xi), sed manibus vinctis rapitur nunquam nisi a militibus. Potest igitur primo anaglypho significari Petrus in atrio principis sacerdotum referto militibus et ministris iis qui Jesum ad concilium adduxerant. Sed loco secundo, milites sagochlamyde vel toga ornatos ubique repræsentari video. Quamobrem puto ibi sine dubio martyrium Petri innui. In sarcophago Junii Bassi unus miles ex tunicæ cingulo pendens fici folium portat, itemque alibi p. 185, 189 (cf. Bottari, tab. xxii et xxvii). Significat autem, ut puto, centurionem cohortis, cujus insigne muneris fuit bacillus ex vite, qui vitis dici solet (Ovid. A. a. III, 527; Lucan. VI, 146; Juvenal., VIII, 247). Quamobrem centurionis dignitas ipsa vitis denominata est (Juvenal. XIV, 193; Sil. VI, 43 et 395). Hoc vero voluit prudens artifex, quod videbat bacillo, qui etiam lictoribus datur, centurionem commode se repræsentare non posse.

Moysen faciunt dum legem capit, volumen accipere a manu quadam, quo volumine brevitatis causa voluerunt tabulas intelligi quæ lapideæ erant (1). Ponitur aliquando et petram virga percutiens, et Judæos in genua prolapsos potu satiare : in quibus alicubi videas pileolos ad formam cribri in capite positos, quos pileos et in lictoribus seu satellitibus alibi videbis, quod ea ætate forte qua hæc sculpebantur, uterentur Judæi et satellites ejusmodi habitu ad discrimen aliorum (2). Intelligo et Moysem, ubi videas quemdam saxo insistentem et velut manum ad pedem porrigentem. Solventis enim calceamentum imago est, quod vocatus a Deo ut ad locum sanctum pergeret.

Invenias et Aaron cum habitu sacerdotali et cultu. David alibi ut juvenculus cum cithara, alibi cum funda. Elias raptus in cælum quadriga invehitur, quo pacto et Constantinus a manu quadam, e quadriga arrecta in sublime, rapi videtur in cælum, in nummo quodam, cujus meminit Eusebius in vita Constantini, et repertus non a multis annis, editus est ab Angelo Breventano mihi olim familiari, in serie familiæ Constantini magni. Cernitur et Elias rectis duobus corvis hinc inde ad pedes ejus positis, a quibus pastus fuit, in sarcophago quo-

(1) In aliis sarcophagis Moysi tabula pro volumine porrigitur. Nonnunquam etiam manus quæ porrigit omissa est, ut in arelatensi uno et altero aquensi.

(2) Ubique sculptores Judæorum capita mitra cingunt, lictorum et satellitum nunquam.

dam fictili : nam et fictilibus utebantur, et vidi nonnullos (1).

In sarcophago ad S. Agnetem muro inserto inter alia sculpta, est caput viri grandioris, apud quem duo minores integro corpore cernuntur, unus cubans, alter erectus, quæ omnia refero ad Elisæum. De quo *Regum* IV, cap. XIII, v. 20 : *Mortuus est ergo Elisæus et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram illam in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcrum Elisæi, quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo et stetit super pedes suos.* Ne mireris autem quod duos videas ad caput Elisæi. Nam illi duo unus et idem sunt bis repræsentatus, semel ut porrectus et jacens, semel ut resurgens (2). Huc facit quod Cyrillus, sermone de capro emissario ait : « Igitur si quis nostrum desideret videre in tabella depictam Abrahæ historiam *de filio immolato* quomodo depinxerit eum pictor? An semel posito Abraham, hæc omnia dicta *quæ Scriptura narrat de immolatione* an per partes, et alio alioque modo! si diverso modo, *pluribus ergo locis* idem ponet, veluti alibi insidentem, assumpto puero, sequentibus servis, alibi remanente inferius asino cum servis, imponentem in Isaac ligna, ma-

(1) Heliam alibi ego nusquam nisi curru raptum vidi.

(2) In quadam domo ad latus collegii Capranici. *Macar.*

Ezechielem in campo ossibus aridis imperantem Dei nutu ut carne induantur (c. 37) hic repræsentari arbitror; idque etiam multis placuisse testatur Severanus (*Roma sotterranea*, l. IV, c. XXII), et nunc passim docti tenent.

nibus habentem gladium et ignem. Eundemque alibi alia specie, alligantem pueri ad ligna pedes, armantem gladio dextram ut ictum inferat. Sed non est alius et alius Abraham, quanquam pluribus in pictura locis conspectus aliter. Sed idem ubique, arte pictoris semper se ad id quod necesse est pingi accommodante, non enim ratio concedit aut fieri potest, ut ipse semel positus possit hæc omnia facere videri. » Ita dicendum de mortuo illo bis posito. Qui si semel et uno tantum modo, ut jacens nempe, collocaretur, non bene daretur illud intelligi, quod virtute corporis Elisæi resurrexit; quare fuit opus artifici bis illum dare oculis, ut duo actus ejusdem statim perciperentur.

Jonas quo nihil frequentius in imaginibus, facile noscitur. Appingitur navis eleganti artificio, quo pacto solebat antiquis fabrefieri et instrui : in qua veli species et alia quædam notari possunt. Ex illa ejicitur Jonas, pisce eum excipiente. Et aliquando parte alia piscis eum evomit. Vidi gemmam in qua præter duo illa, et tertium erat, nempe Jonas *sub cucurbita* : quod solum in picturis visitur sæpissime (1). Qua in parte pictores et sculptores illi secuti sunt LXX interpretes, qui non hederam, ut beatus Hieronymus vertit, habent, sed græce κολοκύνθην, quod latine dixerunt cucurbitam (2).

Tobias pingitur juvenculus, nudus, dextra piscem tenens, sinistra baculum viatorium : in capite quod ap-

(1) Sunt in manibus Philippi Winghii. *Macar.*

(2) Longam disputationem de hedera et de pisce Jonæ in extremum librum rejeci, quod hic ubi collocarat Macarius, seriem rerum nimis distinebat.

ponitur dubium an tiara, nec enim certum, an orbicularis tabella; fugiens enim pictura eo loci est. Si tiara, ad usum Medorum, qui pileis ejusmodi utebantur, spectabit.

Daniel inter leones, itidem juvenculus, nudus, duobus hinc inde ad pedes ejus leonibus positis, quamvis Scriptura dicat fuisse septem (1). Sed cur nudus? An quia pictores nudatum putarunt, ut citius devoraretur. Sed cur etiam Tobias junior nudus? An forte quia pictores existimarunt a nudato piscem captum (2). Cum enim Scriptura ita narret : *Et exivit* (Tobias) *ut lavaret pedes suos. Et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum*, crediderunt forte non solum pedes sed et reliquum corpus apparasse vestibus exutis ad lavan-



(1) Danielem nudum fere semper (namque brevi palliolo cinctum latus video in pictura apud Perret. *Catacombes*, II, XLII) et rectum stantem inter duos leones versibus suis descripsit Dracontius (*De Deo*, l. III, v. 183 seq.) :

> Sæva Danielem rabies atque ira leonum
> Non tetigisse pium, cui destinat insuper escam
> Magna Dei pietas jejuno utroque leone.

Eum ad sculpturas et picturas respexisse recte judicat noster Arevalus in adnotat. ad h. locum. Nudos vero figuravit omnis ætas Danielem et Jonam, quo significaretur eos humano omni auxilio prorsus destitutos. Pueri in fornace vestiti repræsentantur ubique (semel nudos vidi in pictura a Bottario edita Tab. CLVIII) ad sacræ historiæ fidem, quodque id majus miraculum esset vestibus igni non absumptis eos in medio flammarum diu stetisse.

(2) Tobiam more piscatorum, si quando Tobias est, nudum

dum. Tres pueri in camino ignis induti braccis et tiaris cernuntur laudantes Deum (quod extensione brachiorum ostenditur) plane ad eum modum, quo Scriptura de iis refert, his verbis : *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis et tiaris et calceamentis et vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis*. Videre est ergo veram formam braccarum, ad eorum femora, tiararum ad capita, qui erant pileoli parthici, ut passim Romæ conspicis in statuis Parthorum captivorum ; et fere quotquot ex oriente, quorum caligæ braccis illorum consi-

---

figurari existimo, itemque brevi limo cinctum (Perret., *Catacombes*, III, XXVI). Verum sæpius tunica indutum invenio, et manu in os piscis inserta.



Piscatorem exhibent, cum canna donant et piscem aptant hamo (figuræ quam in pagina 75 vides addidit meus sculptor modicum palliolum διὰ εὐσχημοσύνην). Tobiam cum canna (baculum viatorium nisi perticam fuisse velim, non dicam), et pisce cauda prehensum tenentem dextra figurat Tab. XXVI mox citata ex opere Perreti, similemque sed cane comite (sic enim judico), paries cubiculi secundi cœmeterii Priscillæ. Hunc Bosio delineavit artifex ita insulsus ut feminam repræsentarit : in ejus vero manu dextra raphanos credo se pingere arbitratus est (*Roma sotterranea*, ed. 1650, p. 474). Ego integrum arcosolium interpretabor, cum primum potero, tantum hic diagramma

Tobiæ emendatum adjicio, in cujus manu dextra pro pisce repræsentata in monumento puto tria intestina, cor, jecur, et bilem (*Tob.* VI, 5) : Εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἄγγελος· ἀνάτεμε τὸν ἰχθύν, καὶ λαβὼν τὴν καρδίαν καὶ τὸ ἧπαρ καὶ τὴν χολὴν θὲς ἀσφαλῶς.

miles. Hieronymus in Danielem (1) : *Pro braccis, quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus est, Aquila et Theodotio Sarabulla dixerunt, et non, ut corrupte legitur, Sarabara. Lingua autem Chaldæorum Saraballa crura hominum vocantur et tibiæ ὁμονύμως etiam braccæ eorum quibus crura teguntur et tibiæ, quasi crurales et tibiales appellatæ sunt. Tiara autem verbum græcum est et usu versum in latinum, de quo et Virgilius : sceptrumque sacerque tiara. Est autem genus pileoli, quo Persarum Chaldæorumque gens utitur.* De tiara autem sacerdotali, qui nonnihil differebat a parthico, idem Hieronymus ad Fabiolam (2). *Quartum*, inquit, *genus est vestimenti, rotundum pileolum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphera media sit divisa, et una pars ponatur in capite. Hoc Græci et nostri tiaram, nonnulli galerum vocant, Hebræi* מצנפת (*misnepheth*), *non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit; sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite.* Quod autem ait Hieronymus *in Ulysseo*, existimo locum fuisse velut porticum ubi Ulyssis reditus pictus et sub specie mendicantis, qui pileolo ejusmodi tectus esset (3).

---

(1) T. III Opp., p. 1084, ed. Martianay.

(2) *De vestitu sacerd.* epist. CXXVIII, t. II, p. 579, ed. cit.

(3) Odyssea porticum ornatam interdum, discimus ex Petronio c. 29. *Satyr.* « Interrogare ego atriensem cœpi quas in media porticu picturas haberet : Iliada et Odysseam inquit. »

Quodam in sarcophago vidi statuam Nabuchodonosor ita effictam ut esset προτομή tantum, id est caput solum cum pectore, ut solebant Romani sæpe præclarorum virorum imagines ponere : et qualia credo fuisse stemmata, et quæ in funeribus portabant; quibus capitibus Roma plena est.

Atque hæc fere ex antiquo Testamento historiam tangentia. E novo primum occurrit adoratio magorum. Quæ ita figurabatur ut Beata Virgo in sede quadam poneretur sedens tenensque puerum Christum, advenirent tres habitu satis vulgari, pileis induti parthicis, quo significabant ex oriente venire. Hi ex ordine positi sua dona attollunt, qui erat gestus offerentium. Inter eos est qui coronam ostendit : stella in eminenti ponitur. Rarius totum hoc in sarcophagis visum. Habet nummum æneum Lælius Pasqualinus canonicus S. Mariæ majoris, ejusmodi specie insignitum (1). Visitur in picturis sæpe quidam docens e suggesto, astantibus etiam multis quod supra retuli ad Noe : an vero aliquando referendum ad Christum docentem in templo, judicent alii. Paralyticus sanatus, jussus portare grabatum, ponitur

---

Hujusmodi etiam aliquid obtulit una porticus pompeiana. Tamen in edd. posterioribus opp. S. Hieronymi pro *Ulysseo*, quod legebatur olim *Ulysse* repositum est : itaque interpretatio a Macario proposita locum non habet.

(1) Bracteolam simillimam (mirum ni eadem illa sit) Romæ emit cl. Le Blant ediditque in *Bull. archéol. de l'Athenæum français,* février 1856, p. 9) et delineatam exhibuit pl. I, n° 3.

quidam pumila statura, ferens lectulum, cujus forma antiquis usitata poterit observari.

Miraculum in Caua Galilææ per hydrias notatur, et si quando etiam sponsa et forma convivii cernitur.

Samaritana e puteo noscitur (1).

Hæmoroüsa, mulier cernitur etiam minoris formæ, inclinans se ad oram vestimenti Christi, habitu hujusmodi quo mulieres, quæ in sarcophagis ponuntur, capite obducto parte vestis cujusdam longioris, quæ totum corpus ambit.

Cæcus sanatus, est ille quasi puer, baculum gerens sæpius, cujus caput frontemque tangit Christus. Ne putes eo referri, quando Christus dixit : *Sinite pueros venire ad me*. Miraculum panum, se ipsum patefacit, e sportis humi positis, quas aliquando Christus virga tangit. Et quando in lateralibus ecclesiæ picturis, apostolus sportam supposita veste attollit, et præbet benedicendam Christo.

Dum vides ædiculam instar templi cujusdam aut sacelli ad quam gradibus ascenditur, in cujus vestibulo velut puerulus involutus fasciis erectus, quem virga quidam adstans attingit : infans ille Lazarus est, ædicula monumentum, virga tangens Christus, qui Lazarum excitat a mortuis. Moris enim erat Judæis, fasciis involvere vita functos, ubi jam condiissent aromatibus non aliter quam matres solent infantes suos. Et quidem

(1) In sarcophagis rotam fune appenso et hydriam, tum puteum figurant.

Joannes evangelista, de Lazaro prodeunte e monumento c. XI, 44 : Καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο : *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata*. Quas latinus interpres dixit institas, græce κειρίαι sunt, quæ aliter etiam scribuntur χειρίαι. Hesychius vocat ἐπιθανάτια ἐντετυλιγμένα, id est *quibus mortui involvuntur*. Nonnus paraphrastes Joannis usus est κερείαις, in illis versibus quibus eleganter involucra fasciarum Lazari sepulcralium describit. c. XI, v. 169 sqq. :

Καὶ ἐκποδὸς ἄχρι καρήνου
Σφιγγόμενον πλεκτῇσιν ὅλον δέμας εἶχε κερείαις;
Θερμὸν ἔχον ἱδρῶτα καλυπτομένοιο προσώπου
Καὶ λινέῳ πιπύκαστο καλύμματι κυκλάδα κόρσην
Σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων στόμα.

Et a pede usque ad caput
Constrictum nexilibus totum corpus habebat fasciis sepulcralibus
Calidum habens sudorem tectæ faciei.
Et lineo amictus erat operimento rotundum caput,
Sudarium quod vocavit Syrorum os.

Ita Juvencus (1) :

Nec mora connexis manibus, pedibusque repente
Procedit tumulo, vultum cui linea texit (2)
Et totum gracilis connectit fascia corpus.

(1) L. IV, *Hist. Evang.*, v. 395 sqq.
(2) Al. *texta*, quod recipit Arevalus.

Quæ fasciæ non absimiles sunt iis quibus involvuntur infantes. Hinc Beda libello *de Orthographia: Cunabula*, inquit, *panni sunt infantiæ*. Sed et Joannes Constantinopolitanus scribit Lazarum in monumento cunabulis involutum. Pulchre vero Basilius Seleuciæ episcopus Lazarum, ut in picturis ostenditur, describit, oratione de eo: Παρῆν ὁ Λάζαρος τρόπαιον αὐτοσχέδιον κατὰ τοῦ θανάτου φερόμενος, παρῆν μηδὲ τῶν ἐνταφίων κειριῶν καταλείψας τὸν ᾅδην κληρονόμον· δεδεμένος ἐξῆλθεν, οὐ γὰρ πόδες ἔφερον, ἀλλὰ χάρις ἐπτέρωσε. *Aderat Lazarus velut extemporaneum trophæum adversum mortem se proferens. Aderat ne infernum quidem relinquens heredem fasciarum sepulcralium; ligatus prodiit, non enim pedes ferebant, sed gratia dederat alas.* Infra de eodem: Νεκροὶ σεσηπότες ἐξάλλονται, μετὰ τῶν ἐνταφίων χορεύουσι, τὸν ἐμὸν ἐξορχούμενοι γέλωτα. *Mortui putrescentes exsiliunt, cum sepulcralibus saltant meo risui insultantes.* Oratione in publicanum et pharisæum et cum recens edito puero comparat. Ἐκεῖθεν ἀνεπήδα νεκρὸς τετραήμερος τὰ τοῦ θανάτου περικείμενος σύμβολα καὶ τὸν θάνατον ἀποδυσάμενος, τὴν τοῦ τάφου στολὴν οὐκ ἠλλάξατο, ἀλλ' ἐφίστατο ταῖς κειρίαις, ὡς ἐκ τάφου τεχθεὶς καὶ μετὰ τόκον φέρων τὰ σπάργανα. *Inde exsiliebat mortuus quatriduanus, mortis circumferens symbola; et cum exspoliasset se morte, sepulcri stolam non mutaverat, sed adstabat cum fasciis mortuariis, tanquam e sepulcro natus, et post partum ferens infantiles suas fascias.*

Nec alium in modum jacuit Christus in sepulcro, quam Lazarus, Joanne teste in Evang., XIX, 40: Ἔλαβον

οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ἐν ὀθονίοις (1) μετὰ τῶν ἀρωμάτων καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν. *Ac-*

(1) Nuper Edmundus Le Blant, *Bull. arch. de l'Athén. français*, 1856, pl. I, nº 20, delineatum onychem edidit in quo Christus figuratur jacens, fronte fasciis ita involuta, ut laciniæ in humeros descendant utrinque. Corpus obliquis tæniis cingitur, pectus quadrato palliolo tectum cernitur, brachia lateri hærentia nuda et summi pedes nudi repræsentantur : epigraphe addita lateri sinistro SALVS RESTITVTA et ex latere dextro palmæ ramo. Suspicatus est Le Blant, p. 10, Dominum in sepulcro jacentem; cujus ego conjecturam probo. Nam quæ minus moribus hebraicis conveniunt, hæc ex artificis ingenio orta sunt vel ex mysterio : significatur enim quod ἐν νεκροῖς ἐλεύθερος. Onyx ipse sæculo quarto videtur tribuendus. Epigraphe docet Christo mortuo et terræ mandato salutem generi humano restitutam. Oportuit enim ut granum frumenti sereretur, et vitis plantaretur, unde granum frumenti et vinum optimum oriri posset. Granum igitur frumenti mortuum vides ut multum fructum afferat, et vitem plantatam in terram, ut vinum electorum inde potemus. Lege Cyrillum Hierosolym. *Catech.*, XIV, c. v. Nostro igitur generi e paradiso ejecto salus restituitur per Jesum Christum Dominum nostrum qui propter nostram salutem descendit ad inferos et tertia die resurrexit a mortuis, primitiæ mortuorum. Audiatur Basilius Seleuciæ episcopus in oratione : Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός : Ἕως τότε, inquit ille, θάνατος ἐκράτει, ἕως Χριστὸς ἐδέξατο θάνατον· ἕως τότε οἱ τάφοι βαρεῖς, δεσμωτήριον ἄλυτον, ἕως ὁ ποιμὴν καταβὰς καὶ τοῖς ἤδη κεκρατημένοις τῶν προβάτων τὴν λύσιν εὐηγγελίσατο. Et in orat., Ἰδοῦ ἀναβαίνομεν κ. τ. λ., hæc : Ἐν ἐμοὶ (Christus loquitur) γὰρ καὶ θάνατος παύεται καὶ ἀθανασία φυτεύεται. Itaque Gregorius Nazianzenus, in orat. XLI in Pascha p. 674, C, ed. Bill. : Ἀπέθανεν, inquit, ἵνα σώσῃ, et S. Athanasius in Lucæ c. XXIV, v. 26, ed. Mai. Bibl. Patr., t. II, p. 582 : Ὁ Λόγος ὁ καὶ πάντας τοὺς νεκροὺς ζωοποιῶν· ἡ γὰρ ζωὴ οὐκ ἀποθνήσκει, τοὺς δὲ νεκροὺς ζωοποιεῖ. Item, S. Cyrillus Alex., *de incarn. Domini*, c. XXVIII, ed. Mai. Bibl. PP. II. Ὁ Σωτὴρ ὁ ἡμέτερος· ὁ δεσπότης Χριστὸς τὰ σωτήρια κατεδέξατο.

ceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Quod Nonnus ita paraphrasi expressit (c. XIX, in fine) :

Λεπταλέαις ὀθόνῃσιν ἐμιτρώσαντο θανόντος
Σῶμα πολυπλέκτῳ ἑλίκων εὐώδεϊ δεσμῷ
Ὡς ἔθος Ἑβραίοις ἐπιτύμβια θεσμὰ φυλάσσειν.

Tenuibus linteis circumdederunt mortui corpus
Multiplici circumvolutionum fragrante vinculo
Ut mos est Judæis sepulchrales ritus servare.

Quæ Evangelista græce dixit ὀθόνια, paraphrastes reddit λεπτοτάτας ὀθόνας, *minutos pannos*, latiusque explicavit illis verbis πολυπλέκτῳ ἑλίκων εὐώδεϊ δεσμῷ, *multiplici circumvolutionum vinculo fragrante*. Ita etiam intellexit B. Augustinus libro de consensu Evangelistarum. *Licet Joseph,* inquit, *involverit in sindone* (corpus Christi), *propterea non prohibetur intelligi, quod et alia lintea postea addita fuerint a Nicodemo, videlicet sudarium quod capiti adhibebatur, et institæ quibus totum corpus alligatum est.* Eo respexisse videtur Gregorius Nazianzenus dum ait, oratione de Filio (1): Ἐσπαργανώθη μὲν, ἀλλ' ἀποσπαργανίσθη τὰ τῆς ταφῆς ἀνιστάμενος. *Fasciis constrictus fuit* (Christus in nativitate) ; *defasciavit* (ut ita loquar) *se rebus sepulcri, resurgens.* Qui modus involvendi fasciis, apud Ægyptios etiam in usu fuit. Herodotus lib. II : *Ubi abluerunt*, inquit (corpus mortui), *sindone byssino incisis loris involvunt gummi illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur.*

(1) Orat. XXXV, prima de Filio, I, p. 575, ed. Bill. 1630, Paris, ubi ἀποσπαργανοῦται.

At incisa lora pro institis sunt. Quod autem pictor Lazarum ostendat detecta facie, cum Evangelista dicat obtectum fuisse, non te moveat; quod jam resurgens, paulatim se spoliet velaminibus, ut agnoscatur quis sit. Et licet Scriptura dicat speluncam fuisse ubi repositus est ad cujus ostium lapis advolutus erat, non ideo male pictor et sculptor apposuit ornamenta, cum lapidi vivo facile talia addantur, et vere divitis hominis fuerit monumentum. Cyrillus Hierosolymitanus *Cateches*. XIV, etiam testatur fuisse quoddam sepulcri Christi vestibulum ante ipsam petram in qua jacuit Christus, his verbis (1) : *Et unde resurget Salvator! Dicit in Canticis canticor. : Surge, propera, amica mea. Et in sequentibus : In foraminibus petræ. Foramen petræ dicit id quod tunc ante ostium Salvatoris monumenti erat foramen ex eadem petra, sicut hic esse solet ante monumenta excisum. Nunc enim non apparet, quoniam erasum est vestibulum propter præsentem ornatum. Nam ante hunc regalem ornatum et apparatum, sepulcri vestibulum erat ante petram.*

Sed mirabitur etiam quispiam cur in hujus miraculi, et aliorum quorumdam pictura, virga datur Christo. An ea usus? non arbitror. Sed divinam ejus potentiam

---

(1) Verba Cyrilli describenda putavi : Καὶ πόθεν ἐγήγερται ὁ Σωτήρ; λέγει ἐν τοῖς Ἄσμασι τῶν ᾀσμάτων· Ἀνάστα, ἐλθὲ ἡ πλησίον μου καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς, ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας. Σκέπην τῆς πέτρας εἶπε τὴν τότε πρὸ τῆς θύρας τοῦ σωτηρίου μνήματος οὖσαν σκέπην· καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς πέτρας, καθὼς σύνηθες ἐνταῦθα γίνεσθαι πρὸ τῶν μνημάτων λελαξευμένην. Νῦν γὰρ οὐ φαίνεται, ἐπειδὴ τότε ἐξεκολάφθη τὸ προσκέπασμα διὰ τὴν παροῦσαν εὐκοσμίαν. Πρὸ γὰρ τῆς βασιλικῆς φιλοτιμίας τῆς κατασκευῆς τοῦ μνήματος σκέπη ἦν ἔμπροσθεν τῆς πέτρας.

et virtutem effectricem miraculorum ea, credo, denotabant. Sic Beda in illud Marci VI, *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*, ait virgam significare potestatem. Et dum exponit locum Exodi de virga Moysis in draconem conversa, ait : *Virga enim est verbum directum regale, plenum potestatis, quod est insigne imperii.* Merito dicit, *insigne imperii.* Nam et virga alibi imperium notatur in Scriptura; ut in psalmo, *reges eos in virga ferrea.* Virga autem quam dant pictores Christo, non cujusvis imperii signum est, sed ejus quod morbos, infirmitates, mortem ipsam abigit, et jussis obtemperare cogit. Nam ita centurio comparavit potestatem quam habebat in servos et milites, illi qua Christus morbos et ægritudines propellebat; virgis autem veris usi sunt Moyses et Aaron, ut refert Scriptura. E qua nescio an hauserint poetæ gentiles ut quibusdam quæ transmutationibus rerum dabant operam, virgas darent. Ut Circe Homerus (*Odysseæ*, X, v. 237, sqq.), socios Ulyssis in sues mutans :

Αὐτὰρ ἐπεὶ δῶκέν τε (φάρμακα) καὶ ἔκπιον αὐτίκ' ἔπειτα
Ῥάβδῳ, πεπληγυῖα, κατὰ συφεοῖσιν ἐέργνυ.
Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνήν τε δέμας τε
Καὶ τρίχας.

Verum postquam dedit (pharmaca) et ebiberunt statim,
Deinde virga perculiens stabulis coercebat.
Illi vero suum quidem habebant capita, vocemque corpusque
Et setas.

Et infra (v. 316, sqq.) quid sibi parabat Circe narrat Ulysses :

Τεῦξε δέ μοι κυκεῶ χρυσέῳ δέπα' ὄφρα πίοιμι·
Ἐν δέ τε φάρμακον ἧκε, κακὰ φρονέουσ' ἐνὶ θυμῷ.

Αὐτὰρ ἐπεὶ δῶκέν τε καὶ ἔκπιον οὐδέ μ' ἔθελξεν
Ῥάβδῳ πεπληγυῖα, ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν·
Ἔρχεο νῦν συφεόνδε, μετ' ἄλλων λέξο ἑταίρων.

Fecit mihi potionem in aureo poculo ut biberem
Injecit vero pharmacum, mala cogitans in animo
Verum postquam dedit et ebibi (nec vero me mutavit)
Virga percutiens, verbum locuta est et nomine compellavit :
Vade nunc ad stabulum, cum aliis cuba sociis.

Et infra, v. 388, 389 :

Κίρκη δὲ δι' ἐκ μεγάροιο βεβήκει
Ῥάβδον ἔχουσ' ἐν χειρὶ θύρας δ' ἀνέῳγε συφειοῦ.

Circe vero per domum ibat
Virgam in manu habens, et fores aperuit stabuli.

Mercurio etiam tribuit Homerus virgam, *Odysseæ*, XXIV, 1 sqq.

Ἑρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
Ἀνδρῶν μνηστήρων. ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν
Καλὴν, χρυσείην, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Mercurius vero animas Cyllenius evocabat
Virorum procorum. Habebat autem virgam manibus
Pulcram auream, qua virorum oculos claudit
Quorum vult, alios autem et dormientes excitat.

A qua virga χρυσόῤῥαπις ei a poëta (*Odyss.*, X, 277, 331) epithetum inditum est, id est auream habens virgam. Eodem modo Prudentius lib. 1° adversus Symmachum, v. 90, sqq. :

Traditur exstinctas (Mercurius) sumptæ moderamine virgæ
In lucem revocasse animas, cocytia lethi
Jura resignasse, sursum revolantibus umbris.

Et hæc de virga Christo appicta. Sed quid dicendum de virga quam videmus in aliquot imaginibus et picturis angelos gestare? Conradus Brunus, lib. *de imaginibus* X, multa de angelorum virga dicit pia; et quid in universum virga sibi velit in Scriptura, late refert. Ego sic existimo virgam dari angelis, quod ut viatores tunc repræsententur, aliosque vel deducant vel deduxerint; seu quod Græci dicerent προπομπῆς ἕνεκα, est enim iter facientium virga. Sic accipe in pictura ascensionis Christi quæ est in frontispicio S. Mariæ novæ Romæ, ubi deducunt angeli cum baculis ascendentem Christum, seu assumptum a manu quadam quæ appingitur in alto. Cui musivo plane similem picturam reperi in bibliis Caroli Magni jussu descriptis, quæ apud S. Paulum Romæ asservantur; ubi ad principium singulorum librorum sunt picturæ, et inter alias hæc in initio Actuum apostolorum. Angelos etiam cum virga videre est in arcu majori Ecclesiæ SS. Nerei et Achillei.

Sed ulterius quærendum in pictura proposita cur Lazarus ponitur tam humili et puerili figura. An quia speciem præ se ferebat recens nati, uti compararunt veteres? Non ob eam causam, nam id solum Lazari proprium esset ut ita pingeretur; nunc autem videas et cæcum illuminatum a Christo astante, et paralyticum qui defert grabatum, esse pumila statura. Quædam ergo ratio communis quærenda est quæ ad omnes hos se porrigat. At quæ ea fuerit? Quid movit veteres ut eam pictoribus darent legem? An quia discrimen innuere volebant divinæ potentiæ ab humana infirmitate? Quæ tanta est imo multo major, quam si vir justæ ætatis comparetur

cum puero. Omnes ergo eos qui egebant ope divinitatis, præsente eo qui divina vi utebatur, pueri, id est imbecilles erant, et ideo pingebantur. Lucianus ejusmodi fere sensum attigit in dialogo cui titulus Halcyon, sive de transformatione; ubi, quum de potentia cælesti agat, ostendit quanta sit comparatio viri et pueri. Sic enim ibi Socrates ait (1): « Quanto enim totum cælum tibi videtur te ipsum antecellere magnitudine? haud dubie enim dixeris. — Chær. Et cujus hominis intelligentia tanta est, o Socrates, qui talium rerum aliquid perspicere, aut explicare possit? neque enim ista humana voce explicari possunt. — Socr. Proinde maximas quaspiam hominum vires inter se compositas contemplemur in potentia et imbecillitate excellentes. Etenim virilis ætas ad pueros omnino infantes a nativitate quinque aut decem dies nondum egressos, immane quantum et quam admirandum discrimen habet, quod et robur et imbecillitatem attinet, et in omnibus ferme quæ sunt in vita actionibus; cum in his quæcumque per artes illas celebres et varias, tum quæcumque corporibus et animi viribus perficiuntur. Hæc enim puerilis ætas, ut dixi, imbecillitate mentis et intellectus obstante, ne capere quidem potest. Jam unius maturæ et adultæ ætatis viri robur, inæstimabile quanto intervallo præcellat omnium puerorum vires. Siquidem horum multa millia unus vir haud difficulter subigeret. Etenim pueritia in totum omnium expers est, ac sub initium, ipso naturæ ductu, invalida atque inutilis homines consequitur. Quando

(1) T. I, 132, ed. Bipont. 1789.

ergo homo, ut videtur, hominem in tantum præcellit, quid putabimus universum cælum nostris viribus collatum appariturum iis qui hæc contemplando assequuntur? » Hæc ille de cælo, nos de creatore dicamus. Et video in proverbium abiisse, ut quum magnum discrimen vellent significare, dicerent, tantum absunt, quantum a viris pueri. Ælianus, l. 1, Variæ historiæ, de Gorgia et Protagora. « Veterum Græcorum ætate, summa gloria floruerunt Gorgias Leontinus Philolai filius, et Protagoras filius Democriti. Sapientia vero tantum abfuerunt quantum a viris pueri. » Hinc ergo factum putabimus, quod et Lazarus et alii, in quos virtus divina se porrigebat, exhibentur pumili. Hinc etiam erit quod caput Elisæi, cujus supra memini, multo grandius, corporibus iis quæ adjacent, sit (1); quod, a Deo præstita vi, cadaver suscitaret. Videntur Ethnici, nescio quid tale in Æsculapii statua fingenda sibi proposuisse, dum homuncionem quemdam, minima statura, veste involutum, addunt ei socium, qui forte æger est, virtutis Æsculapii divinæ, ut credebant, indigus aut jam usus (2).

Eodem referam quod in musivis videmus Christum aliquando majore statura, quam sint reliquæ picturæ. Et si pares illi fuerint apostoli magnitudine, saltem re-

---

(1) Vide quæ monui superius pag. 75, nota 2. Artifex caput illud colossicum pro petra adjecisse videtur, ut tabulam suam ornaret anaglypho : nam capiti hominis adhuc jacentis supposuit.

(2) Telesphorus penula indutus Æsculapio ubique comes additur (Buonarotti, *Medaglioni*, p. 83 sqq.).

motiore loco ponitur ab iis, ut quantum ejus ab iis discrimen sit ostendatur. Quod autem etiam apostoli Petrus et Paulus magnitudine reliquos adstantes interdum excedunt, et pares Christo ponuntur, id factum fuerit, ut horum præstantia nobis insinuetur, quos vicinitas Christi fecerit diviniores et præstabiliores. Sed in plurimis absidibus solus Christus major, reliqui pares cum apostolis. Nec ab hoc sensu discesserunt veteres poetæ, dum eos mortales, qui in deorum sedes migrassent, ut putabant, apparere dicunt majori quam prius specie. Ovidius secundo Fastor. v. 503, 504, de Romulo quem ait post obitum apparuisse Julio Proculo :

> Pulcher et humano major, trabeaque decorus
> Romulus in media visus adesse via.

Et in inscriptione romana, cuidam ita nepos apparuit (1) :

> Exacta prope nocte, suos cum lucifer ignes
> Spargeret et volucri roscidus iret equo,
> Vidi sidereo radiantem lumine formam
> Æthere delabi, non fuit illa quies.
> Sed verus juveni color et sonus. At status ipse
> Major erat nota corporis effigie.

Et qui in somnis se exhibent, vel qui tanquam divinitus et per prodigium oblati vigilantibus offeruntur. Juvenalis *Satyr.* XIII, v. 221, 222 :

---

(1) Apud Alexandrum Pavillam descripsit de Winghe, ut didici ex schedis ejus p. 159; editam deinde invenies a Smetio.

Te videt in somnis, sua sacra et major imago
Humana turbat pavidum, cogitque fateri.

Suetonius in Augusto, c. 94 : *Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine ac sceptro exuviisque Jovis opt. max. ac radiata corona.* Idem in Claudio, c. 1 : *Non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris, humana amplior, victorem tendere ultra sermone latino prohibuisset.* Tacitus, Ann. XI, 121 : *Oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox.* Observare licet etiam quod pontifex dum appingitur provolutus ad pedes Beatæ Virginis in aliquo musivo, qui dum in vivis esset, jusserat illud opus fieri, minima si cum ceteris compares, forma corporis ponitur, ut in abside S. Mariæ in Domnica, papa Paschalis (1). Quod videre etiam est in frontispiciis quarumdam ecclesiarum musivo exornatis. At dum rectus stat gestans ecclesiam, a dextra parte absidis, æqualis ceteris personis exsistit. Atque hæc occasione Lazari sint dicta.

Christus in asina sedens ponitur, addito pullo, hoc conscendente arborem, illo vestem substernente, apostolo comitante. — Christus captivus ducitur a duobus satellitibus, in quibus e zona dependet quandoque signum quoddam folio ficus aut vitis simile; quod et notavi supra.

Petrus videtur togatus, cum gallo cuidam columnæ imposito. Pilatus sedet avertens faciem, habitu militari,

(1) Ciampini, *Vet. Monim.*, II, Tab. XLIV.

sede egregia; cui puer aquam præbet manibus, sinistra tenens speciem pelvis cum manubrio, dextra urceolum. Mensa, qualem accubitus in marmoribus ostendunt, ante Pilatum est, imposito vase majore. Et quandoque Christus adstat Pilato, ductus a milite.

Hæc fere sunt quæ e novo Testamento petiverunt; Nisi si quis velit addere quod in medio sarcophagi sæpe Christus specie pastoris stat, ovem deperditam gestans humeris. In qua figura veterum pastorum verus habitus agnoscitur. Quanquam propria specie frequentius medium illum sarcophagi locum occupat; sedens semel a me visus est, in sarcophago Juniano. Cujus pedibus scabelli vicem persona quædam horrida (quam existimo τοῦ ᾅδου, id est inferi, esse) tenet (1). Secundum illud : *Dixit Dominus domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sic enim interpretatur Theodoretus illa verba, *donec ponam inimicos :* « Inimicus potissimum est Diabolus, et hujus

---

(1) Cælum hoc habitu figuratum putat E. Q. Visconti, M. P. C. t. IV, pl. XVIII, Milan. 1820. Ego flumen oceanum ventis perflatum et terræ immissum interpretor. Jesus Christus, qui in musivis aquæ rectus insistit, hic sedet, pedesque imponit pallio quod inflatum a ventis utraque manu figura subiecta tenet. Hæc vero nunc flumen ipsum Jordanes mihi est (ut in tab. XV Bottari), nunc nympha fontis paradisi (Tab. XXXIII, Bottari), quæ quatuor fluminum mater est; itaque Nazianzenus epist. II : εἰς τέσσαρας ἀρχὰς μεριζομένην πηγὴν dixit, itemque Basilius Seleuciæ episcopus (Opp., ed. 1596, p. 360), qui addit his quatuor fluminibus quatuor evangelia significari : ἡ τετράστομος τῶν εὐαγγελίων πηγή, ab uno fonte præclare namque originem suam ducunt : verum fons e petra salit, *petra autem est Christus.* (1. Cor., X, 4.)

ministri dæmones, et qui ejus divinis præconiis resistunt, Judæi et Gentiles. » Stat autem sæpius, dextra tenens crucem; vel eam gestanti Petro, sinistra volumen evolutum porrigit, *quod sinu vestis expansæ parat apostolus excipere* (1). Nec enim veteres manu

(1) Bottari, Tab. XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVIII; cf. picturam in vitro superius (p. 40) datam. Paulum in sarcophagis et in opere musivo exhiberi ferentem crucem putant. Quamobrem diu disputatum est inter catholicos et communionis non nostræ homines, essetne sinistrum an dextrum latus claudere honoratiorum magis. Hanc ego perpetuam litem dudum reor incisuros viros doctos fuisse, si monumenta ad examen revocassent secrevissentque mature tempora, et rationem novi facti serio vestigassent. Nunc picturis et sculpturis ante oculos positis earumque ætate, statuam necesse est quid de hac re sentiendum putem.

In cœmeteriis ego nullam picturam aut tabulam graphio notatam invenio, quæ primis quinque sæculis attribui merito debeat, in qua Petrus ad sinistram Pauli collocetur. In vitris ubi Petrus et Paulus pinguntur nomine adscripto, Petrus constantissime ad Pauli dexteram ponitur; et hæc quidem monimenta antiquiora putantur, et numerosa, nam in 180 vitris numeravi octo et viginti. Unum tantum vitrum excipere habeo, in quo Petrus et Paulus μηνίσκῳ ornantur, Pauli vero nomen litteris grandioribus nomini Petri suprascriptum legitur (Boldetti, Osservaz. p. 197). Verum nimbo sanctorum capita cingi serius cœperunt; et aliquid dandum est errori artificum, ubi etiam majores operis difficultates exsistunt. Antequam ad sarcophagos veniam quæ, uno excepto, nomina figuris apostolorum nunquam adscribunt, constituere opus est, quonam argumento Petri vel Pauli figura definietur. Ex habitu oris omnes, puto, sentiunt. In quo quid ego dicam non habeo, nisi me cum Macario jam notasse antiquos, in describenda eorum figura, modis discrepare miris. Petrum aliquando calvum, nonnunquam recalvastrum figurant: est ubi bene comatum offendo. Paulum nunc recalvastrum aut omnino calvum, nunc comatum

contrectabant rem oblatam, sed veste subjecta. Nec decorum erat cava manu quidquam accipere, quod ra-

---

video. Barba utrisque datur, nunc Paulo nunc Petro fluxior, mox æqualis utrisque. Itaque, ut specimen aliquod tibi exhibeam ex tabulis cœmeteriorum et vitris, quibus nihil remotius est; in tabula quæ a Boldetto, p. 193 pessime delineatur, a Fontaninio recte (*Discus. Christ.*, p. 40; cf. Perret, *Catacomb.* V, XI, 1) Petrum et Paulum nominibus vides adscriptis, his enim exemplis utor, forma vero ita pæne similes ut gemellos arbitreris. Eundem in modum figurant vitra a Boldettio, T. CLXXXXII, 2, a Buonarottio, *Vetri*, Tab. XI, 1, XII, 2, XVI, 2, a Bottario, T. III, T. CLXXXXVII, 5, CLXXXXIX, 2 expressa. Barbam Petro prolixiorem dant vitra Buonarotti XII, 1 et Bottari III, Tab. CLXXXXVII, 5. Calvos utrosque vel recalvastros præbet et barba simili Boldetti vitrum p. 514 (Perret., pl. XXIX, 70), recalvastros, sed Petrum barba minus demissa, Bottari, t. III. Tab. CLXXXXVII, 3. Calvum Petrum tantum, Buonarotti XV, 3, Bottari, T. III, Tab. CLXXXVII, 3. Calvum Paulum tantum, Bottari, Tab. cit., n° 2, Buonarotti, T. XVI, 1, Perret., pl. XXI, 3, Boldetti, p. 192, 1. Monumentis accedant descriptiones ex apocryphis petitæ; namque hæ veterrimæ omnium. Acta Pauli et Theclæ a Tischendorfio edita (hac ego recensione utor), Paulum faciunt ψιλὸν τῇ κεφαλῇ, quod vertit antiquus interpres *capite attonso;* sed recalvastrum, ἀναφαλαντίαδα, dicit auctor Philopatridis inter opp. Luciani; item ἀναφαλαντίαδα repræsentat Elpius Romanus nuper a Tischendorfio descriptus (*Anecdot.* p. 130). Idem Elpius recalvastrum Petrum affirmat (ibid. p. 129) quem passim comatum alii scriptores tradunt. Tandem barbatos bene utrosque, εὐπώγωνας, figurat Elpius, nisi quod Petro attribuit ὁλοπόλιον τὸ γένειον. In tantis veterum discrepantiis, antequam typus constitueretur ex quo Nicephorus Callistus descriptionem suam finxit, artifices quidem certe modo hac, modo illa παραδόσει, usi esse dicendi sunt. Seposita figura quam non indubium esse argumentum ostendi, plerumque Petri imago definitur gallo vel clavibus. Itaque ubi in sarcophagis Christus stat in medio duorum apostolorum, ex quibus ille qui Christi sinistram claudit crucem fert, et ab eo voluminis explicati mysteria sub-

pientis videntur. Ammianus Marcellinus, lib. XVI : *Inductis quadam solemni die agentibus in rebus in con-*

---

misse pallio subjecto excipit, alter dextra clata Domino alloquenti veluti respondet ejus se dictis obsecuturum, quæritur alteruter Petrus sit. Ego ut quæstioni faciam satis, dicam, in sarcophago Cæsaraugustano in Hispania ubi nomina inscripta sunt, Petrum ad dexteram me collocatum invenisse. Deinde in Arelatensi, eidem figuræ ad Christi dexteram positæ gallus additus est. Sarcophagis subjungo musiva romana, in quibus Petrus et Paulus medio Domino repræsentantur. In ecclesia S. Constantiæ occurrit nobis musivum quod Ciampinius invulgavit (*de sacris ædificiis a Constantino magno constructis*, p. 131, tab. XXXII, fig. 1); in quo idem schema figuratur, quod in vitro eleganti exstat. De hoc Buonarottius (Vetri, tav. VI, 1) non adeo meritus est ut laudari possit. Habes hic ligno sculptum (pag. 40), et interpretabor deinde in indice monumentorum : tamen, quod hic satis est, vides figuræ ad Christi dextram positæ subjici IERVSALEm, et alteri oppositæ BETLEM esse subscriptam et delineatam. Disces vero Jerusalem esse *Ecclesiam ex circumcisione* et Bethlem *Ecclesiam ex gentibus*, comparato vitro cum musivo a Ciampino edito (*Veter. monim.* t. II, p. 190, tab. LXVIII). Hinc deduces Petrum eum esse, qui Ecclesiam ex circumcisione ipsi commissam habet suppositam; et alterum, cui ex gentibus Ecclesia instituenda a Domino mandata est, Paulum esse. Quamobrem ubi Romæ populum docent in musivo S. Andreæ in Barbara (Ciampini, *Vet. monim.*, tab. XXV), Petrus dextram tenet, Paulus sinistram.

Dissimulare tamen hic non possum in serioribus musivis duobus, quorum alter in eccl. S. Venantii anni 642 est (Ciampini, *Vet. monim.*, tab. XXXI), alter in Ecclesia S. Cæciliæ anni 820 (Ciampini, *Vet. monim.*, tab. LII), Petrum ad Pauli sinistram exhiberi. Tamen in utroque musivo observatione dignum arbitror Christum, græcum in morem, erectis tribus digitis iunctisque annulari et pollice benedicere. Hoc vero satis arguit exteris artificibus eas deberi : namque idem Paschalis Papa anno ante quam S. Cæciliæ musivum dedicaret, in basilicula Zenonis, quam ecclesiæ S. Praxedis addidit, Petrum in dextro latere Paulum sinistro

sistorium ut aurum acciperent, inter quos quidam ex eorum consortio, non, ut moris est, expansa chlamyde, sed utraque manu cavata, suscepit. Et imperator: Rapere, inquit, non accipere sciunt agentes in rebus. Ritus idem multis in locis in imaginibus videtur observatus, etiam si quod donum offerendum est, ut subducta veste portetur. In SS. Cosma et Damiano, coronas illi suas ita portant. Pictura lateris interioris Ecclesiæ S. Cæciliæ miraculum exhibens quinque panum, facit apostolos afferentes panes Christo, quos benedictiono multiplicat, *toga inclusos*, parte togæ pendente. In Ecclesia S. Joannis minori, quem vulgus Sanctum Joanninum vocat, *apostoli accepturi Eucharistiam, vestibus expansis adstant, eodem gestu quo qui panes*

---

collocavit (Ciampini, *Vet. monim.*, tab. XLIX). Inter exteros Græci solent Paulum Petro anteponere, ut Eusebius H. E. l. III, c. XXI; VII, c. XVIII, idque jam observatum est a Cotelerio (ad Constit. Apost. VIII, 33, t. I, PP. Apostolic. p. 414), qui multa collegit exempla, et a Valesio (ad Euseb. H. E. III, 21), ex quibus profecit Heinichenus in Eusebii t. III, c. XI. Neque Romani Pontifices repugnasse unquam putandi sunt, qui docebant *priorem esse multitudinem gentium quam synagogam* (S. Gregor. M. Homil. XXII, in Evang.); quique suis schematibus non Petri conditionem designari (ut delirant rabulæ), sed Ecclesiam utramque ad unum Dominum aggregatam per Petrum et Paulum significari optime nossent. Quamobrem et in S. Pauli basilica S. Leo primus a. 441, Paulum ad Christi dexteram in musivo pinxit (Ciampini, *Vet. monim.*, I, tab. LXVIII).

Ex disputatis apparet quid tandem ad litem omnino componendam vetera monumenta conferre potuissent; veteres vero qui disceptarunt, opinione communi abreptos ad examen monumenta ipsa non revocasse.

portant Christo. Quanquam de ejusmodi ritu Christi corpus excipiendi longior esset sermo si his immorari vellem. In musivis absidum etiam pontifices dum ecclesias, quas fundarant, offerre parant Christo, veste subjecta tenent, ut alibi dixi. Sic et idem in S. Lucina in abside ecclesiæ quam excitavit, gremii panno subdito gestat ecclesiam quam offert. Sic ait Prudentius, *Peristephan. Hymno* IV, v. 5 sqq. Cæsaraugustam urbem tanquam feminam gestare dona :

Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.
Sanguinem justi, cui pastor hæret
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.

Plura, qui perscrutabitur imagines, inveniet exempla. Sed quid est quod Petrus et in sarcophagis et in absidibus a sinistris Christi ponitur semper? Torsit hæc indagatio a non paucis sæculis nonnullos. Nam Petrus Damianus, cardinalis Ostiensis, qui ante quingentos annos fuit, ita scribit ea de re Desiderio abbati (1). « Occurrit mihi quod ipse a me quæstione proposita sæpe numero requisisti, cur videlicet in imaginibus picturarum per universas Romæ adjacentes provincias, Petrus qui primus est ad sinistram, coapostolus ejus Paulus

(1) T. III, Opusc. XXXV, c. I, ed. Caietani, 1783. Quid sit sentiendum, ostendi, p. 93-96

constituitur ad dextram; cum juxta vulgarem sensum hoc rerum ordo deposcat ut Petrus, qui senatus apostolici princeps est, dextrum Domini latus, Paulus vero qui junior est, sinistrum jure possideat. Sed durum est valde ut opinemur, quia tam egregium tamque famosum apostolicæ dispositionis ordinem, inconsulte atque inconsiderate devota Deo ac religiosa vetustas admiserit. Neque enim credendum est ut Constantinus imperator, imo Papa Silvester, atque post eos principes et sacerdotes in ecclesiasticæ disciplinæ littera pervigiles atque solertes, hunc ordinem tantorum principum negligendum ducerent si correctione dignum aliquatenus existimarent :» Hæc ille. Sed quas opinatur causas hujusce collocationis vetustus auctor? Unam, quod Benjamin sonet *filium dextræ;* Paulus autem erat e tribu illa. Alteram quod dextra vitam cælestem, sinistra temporalem signet. Et Paulus vivus raptus ad cælestia et ad apostolatum vocatus Deo jam glorificato. Tertiam, quod Petrus apostolus sit circumcisionis, Paulus gentium, quæ, relicta synagoga, ad dexteram ponendæ sunt. Quartam, quod per Petrum, activa vita figuratur, ideoque convenit illi sinistrum latus, quo actuosa vita exprimitur. Quarum causarum penultimam solam inseruerunt scriptis suis Innocentius Sermone III *de Evangelistis;* Thomas I cap. *ad Galatas;* Guilielmus Durandus, lib. VIII. *Rationalis*, cap. XLIV; Franciscus Mucantius, qui scripsit *de imaginibus Petri et Pauli* ad Gregorium XIII. Ad eas adjungit duas alias, quod deceat summum pontificem humilitate decoratum esse, uti Petrus fuit, et quod dum Paulus Petro præponitur,

significari potest hos apostolos esse æquales meritis. Antonius Nebrissensis primus fuit, quod sciam, qui scripsit hunc situm apostolorum servari, quod sinister locus honoratior fuerit habitus, idque conatur auctoritatibus veterum fulcire. Verum Mucantius, inquit Molanus (1), dum in lib. *de historia imaginum* agit de hac eadem re, id studet refellere; quem non vidi. Legi quæ de dextro loco honoratiore, scribit in Suetonium (in *vita Claudii* c. XXIII), Lævinus Torrentius; et quæ Lipsius validissime disputat libro *Electorum II*, cap. II, præsertim adversus Goropium Becanum, qui defendit latus sinistrum potius in honore esse. Attilius Serranus, lib. *de* VII *Ecclesiis,* ubi agit de Ecclesia Lateranensi, inquirit etiam in hunc situm apostolorum et partim ad rationes mysticas delabitur, partim ad hunc antiqui moris locum, quod sinister locus appareat aliquando prælatus dextro. Bellarminus, in controversia *de summo pontifice* integrum caput de hoc apostolorum situ ponit; qui Nebrissensis, de sinistro latere digniore, sententiam non rejicit, quin et aliquatenus roborat. Et quod afferri potest in contrarium ex Ambrosio sermone *de Pentecoste*, et Hieronymo, commentario in primum caput *ad Ephes.* dicentibus, ad dextram sedere, esse majoris honoris signum, id in sedendo valere ait, cum sedes præsertim recto ordine collocantur, ut si ad parietem collocentur; at in incessu minime, et quando unus alterius latus corpore suo tegit. Ego hujusce controversiæ non arbi-

(1) Lib. III, c. XXIV.

trum agam; nec Josephus Castalio qui postremus, quod sciam, hanc controversiam attigit, mihi satisfacit. Tantummodo adjiciam ea quæ similia reperi huic apostolorum collationi, ubi necessario dicendum est a sinistris digniora poni. Est sarcophagus in vinea collegii Salviatei, in quo Christus stat pastoris specie, ovem perditam gestans humeris. Cujus ad pastoris pedes in genere ovino masculus et femina est : sed a dextris femina est, a sinistris masculus. Dixi jam de alio sarcophago, in quo Abel et Cain offerunt munera Deo sedenti, ibique Cain qui primogenitus a sinistris est, Abel a dextris. In arcu absidis SS. Nerei et Achillei, beata Virgo est a sinistra parte arcus. Simile quid habet Sophronius episcopus Hierosolymorum, ut citatur in concilio septimo universali, act. IV (in commentario de SS. Cyro et Joanne, miraculo CCCVI) : *Ecce imaginem*, inquit (1), *maximam et mirificam vidimus, repræsentantem in medio quidem picturam Domini nostri Jesu Christi, Christi autem matrem et dominam nostram deiparam semper Virginem Mariam a sinistris, a dextris vero Baptistam Salvatoris nostri præcursorem.* Narrat item Pontificale, Hadrianum primum fecisse imaginem Mariæ, et a dextris ejus Andreæ (2), a sinistris ejus Joannis evangelistæ.

---

(1) Labbe, T. VIII, p. 899. Μεγίστην εἰκόνα καὶ θαυμασίην ἐβλέπομεν μὲν μέσον τὸν δεσπότην Χριστὸν γεγραμμένον χρώμασιν ἔχουσαν, Χριστοῦ δὲ τὴν μητέρα καὶ δέσποιναν ἡμῶν τὴν θεοτόκον καὶ ἀειπάρθενον Μαριὰμ εὐώνυμον, καὶ ἐκ δεξιῶν Ἰωάννην τὸν βαπτιστὴν αὐτοῦ τοῦ Σωτῆρος καὶ πρόδρομον.

(2) Hoc quidem certe Anastasius non dicit (I, p. 257, ed. Bianchini, 1718), cujus hæc verba sunt : «Constituit in medio vul-

Joannes autem procul dubio dignior Andrea, quem tot prærogativis ornavit Christus. In consessu conciliorum universalium, digniores a læva ponebantur, minus digni a dextra, ut in Chalcedonensi, vicarii Leonis papæ, Anatolius archiepiscopus Constantinopolitanus et Maximus Antiochenus episcopus a sinistris sedebant; Dioscorus Alexandrinus, et Juvenalis Hierosolymorum episcopus a dextris, qui tamen rei erant et venerant judicandi. Quin et apud paganos id factitatum. Nam Herodianus, ubi agit de consecratione imperatorum post mortem, in consessu illo funebri matronas a dextris, senatorium ordinem a sinistris cadaveris imperatorii consedisse narrat. Sed de his hactenus.

A dextris autem Christi ponitur alius apostolus quam Petrus; in absidibus quidem, Paulus est, in sarcophagis autem possit dubitari num Paulus sit, quod non referat Paulum facie; crediderim tamen esse. Sed notandus in eo gestus ille brachii. Exporrigit enim e toga partem brachii, ut ostendat paratum tam ad audiendum quam ad faciendum ea quæ dicuntur et proponuntur. Nescio an eo alluserit Horatius *Satyra* III, lib. II, v. 75:

Audire atque togam jubeo componere.

Quem gestum sequuntur omnes alii, præter Petrum, apostoli et discipuli, exserto plane brachio, si quando

---

tum Sanctæ Dei Genitricis; et ex duobus lateribus unam habentem vultum depictum sancti Andreæ Apostoli, et aliam sancti Joannis Evangelistæ. »

ab utroque latere plures apponuntur; quod aliquoties est videre in sarcophagis. Et in suffragiis ipsi antiqui brachii extensione sunt usi, unde defluxit verbum χειροτονεῖν, *eligere*, quasi dicas manum extendere. Qui apostoli dum ita brachium attollunt, et sinistra volumen tenent, et faciem ipsam vultumque componunt ad gestum brachii, ad omnem animi promptitudinem declarandam. Atque ita bene se habet, ut dum Christus attollit manum ad eorum mentem excitandam, illi excitatam ostendunt attollendo suam.

Verum te a facie manuque convertas velim ad pedes apostolorum, in quibus calcei non sunt intuendi negligenter, ob eam controversiam de qua Molanus de historia SS. imaginum, lib. IV, c. XXVII, his verbis agit : « Pinguntur apostoli a nonnullis nudi pedes : quod docti etiam quidam videntur probare. Sanctus enim Bonaventura habet epistolam de eo quod Christus et apostoli et discipuli ejus incesserint discalceati. Sic Gregorius Nazianzenus oratione prima de pace, inter exercitia monachorum ponit pedes nudos, apostolisque similes. Et Conradi Bruni cap. VI, legimus viros sanctos ab usu calceorum abstinuisse, quod de Jacobo apostolo tradit Epiphanius : et procul dubio idem etiam ceteri apostoli servarunt, Christi præceptum sequentes quod est apud Matthæum : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta. » Verum Marcus, velut præcavere volens ne quod Matthæus scripsit, male intelligeretur, scripsit sandalia apostolis concessa; et calceatos ait sandaliis. Recte igitur dicitur

cum Augustino ea calceamenta Matthæi et Lucæ, prohibita fuisse quæ totum pedem tegerent (1); sandalia vero concessa, quæ plantam quidem pedis defenderent ab occurrentibus viæ incommodis, verum superiorem pedis partem sinerent nudam; hujus modi enim calceamenti genus vocari sandalia et soleas indicat Augustinus. Quia ergo Christus et apostoli, ut est verisimile, pro more illius regionis, maxime a pauperibus recepto, utebantur sandaliis, noluit Dominus suos jam profecturos mutare sandalia et quemadmodum itinerantes ibi facere solebant, calceamenta assumere quæ totum defenderent pedem. Matth. III, 11, de Christo dicit Baptista : *Fortior me est, cujus non sum dignus portare calceamenta; cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Petro dicit Angelus : *Calceate caligas tuas,* Act. XII, ubi græce est sandalia. Ad Ephesios VI, dicit apostolus : *State calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*. Quare non est verisimile, apostolos omnino nudis pedibus incessisse; sed nudis pedibus incessisse, hoc est usos sandaliis, et non calceis. Nam et Tertullianus, in libro De pallio, significat calceos totum tegere pedem, ac suo tempore Christianos fere sine calceis incessisse nudis pedibus; asserens parum virile esse calceos gestare. » Hæc Molanus. Atqui notare est in musivo absidis SS. Cosmæ et Damiani (2), quasdam esse personas calceis integrum pe-

(1) D. Janssenius, concord. C. SS. *Macar.*
(2) Ciampini, *Vet Mon.*, I, Tab. XVI.

dem tegentibus, alias, ut apostolos et Christum, alio genere calcei pedem non tegentis; qui calcei semper in sarcophagis et picturis eadem forma pinguntur; quæ in statuis virorum, feminarumque gentilium frequentissimo cernitur. Quibus nomen dedit Augustinus, *sandalia*, *soleas;* quanquam solea si proprie sumas, genus erat calceamenti, quo domi utebantur, præsertim accubituri et decubituri. Horatius, lib. II, *Satyra* VIII, v. 77, meminit ad convivium usos; nam de conviva accubituro ait :

Et soleas poscit.

Plautus ad lectum (1); ubi Dromo servus :

Ecce autem hic deposuit caput, et dormit, suscita.

PHILOC.

Etiam vigilas; pater, inquam, aderit hic meus.

CALLID.

Ain' tu? pater

Cedo soleas mihi ut arma capiam.

Forma mihi visa in marmoribus, et apud Delphinios Romæ, ubi sculptus est æger decumbens : sub cujus lecto sandalia sunt eodem modo quo in sarcophago gentili, intra conservatorum Romæ ædes in capitolio (2), cum inscriptione hac.

(1) Mostellaria, act. II, sc. I, v. 35.

(2) In superiori parte, *Macar.* Fabretti I. D, p. 705, n. 263, qui in versu quinto legit, OENOPHORV ET.



D M

SANDALIVS

DICIT AMBVLA

SEQVAERE MEC

VM OENOFORV CVM

CALICE ET TAPAN

TIONE



Sed hæc sandalia parvam habent similitudinem cum illis quæ habent apostoli. Quare a domestico illo usu translatum fuerit nomen ad illud urbanum calceamentum quo intra urbem tantum utebantur, domo egressi. Verum autem calcei nomen fuerit reservatum illis calceamentis, quibus extra urbem usi sunt, atque ideo totum pedem tegebant, et aliquam credo partem tibiæ. De quo genere poterit illud intelligi, quod de Augusto Suetonius c. 73 : *Forensia autem et calceos nunquam non intra cubiculum habuit ad subitos repentinosque casus parata*. Et illud quod supra ex Tertulliano allatum de calceis, qui ab omnibus pedem tuebantur malis viæ : soleæ non item, in quo Radulphus Ardens cum Augustino consentit, homilia in festo Lucæ : *Debet autem*, inquit, *juxta Marcum uti sandaliis sive soleis, ut scilicet pes neque sit tectus, neque ad terram nudus*,[1] *quatenus affectus ejus terrenus non hæreat, sed nudus cælestia suscipiat*. Quanquam et sandalium pro calceis sumitur, Actor. XII, ut supra Molanus retulit. Sed et Isaiæ cap. xx, ad ea verba : *calceamenta solve de pedibus*.

Hieronymus in comment. *calceamenta*, inquit, LXX Σανδάλια, *id est caligas, vocant. Caligam autem pro calceo sumi, sciet qui inter symposii ænigmata quod est de caliga legerit, quam infra habere clavos affixos dixit, more militari nempe*; ut qui ad eum auctorem notas apposuit, Josephus Castalio ostendit ita in arcu Constantiniano videri. Erat autem caliga calceus altior pedem totum et tibiæ partem operiens, cujus in solea nonnunquam clavi figebantur. Unde non mirum si interpres latinus verba illa Lucæ (Actor. XII, 8) ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, verterit : *calcea te caligas tuas :* quasi diceret in caliga esse calceum : et qui caligam indueret, simul et calceum attraheret. Ita et Gregorius, lib. I Dialog : *Equitius abbas clavatis calceatus caligis.*

C. III. — *De symbolis.*

Quæ itaque figurant aliquam novi et veteris Testamenti historiam, hæc fere sunt. At præter historias, reperiuntur alia picta, sculptave; nempe res quædam solitariæ et singulares sæpius ad aliquid arcani denotandum appositæ. Quæ vocabo deinceps symbola, petita ex universa naturæ varietate. Ut ex elementis, ignis, sed in cratere lucens (1); e vegetabili natura ut palma

(1) Ignem in olla vel aheno lucentem exhibet tabula in Bosii *Roma sotterranea* a Severano edita, a. 1650, p. 299, hac forma;

arbor, et ejus ramus aliquando; ramus (1) item olivæ, corona (2) e frondibus contexta. E natabili; piscis (3)

---

sed illa epigraphe et sequentes a putidissimo impostore confictæ sunt. Alibi tamen in eodem opere, p. 284, memorantur ardentia vasa et flammæ ignis, eorumque schema exhibetur ad hanc speciem.



In aliis locis, Bottari, T. CLXXXIV, cf. Perret, *Catac.* III, XXXI, vasa video, quorum ex labro summo flammæ micant.





Sed in Lupi epitaphio S. Severæ, p. 98 (Perret, *Catacomb.*, V, LXVII, 15, cf. III, LVIII; XXVI, 5), et apud Boldettium, p. 318, modii, sine dubio delineati sunt, spicis exstantibus. Quamobrem errorem priorum interpretum deprehendisse mihi videor, qui, ut hic, non nunquam pro spicis flammas, ut putabant, repræsentarunt.





Hic non omittendum, auctorem eorum epigrammatum eundem forte esse qui Abbati Crescentio imposuerit, inscriptionibus mortario, quod ampullas continebat, inductis, SA SATVRNII, SANG, SA (namque ab eodem Crescentio Severanus, qui vulgavit primus, accepit, ut Aringhius me docuit l. III, c. XXII). Has ego quidem ex litterarum forma manifeste spurias teneo: erit deinde qui aliis argumentis demonstrationem conficiet (affirmavit enim), eques de Rossi. Ceterum modios ita parum intellexerunt primi, ut semel positum ante mulierem quandam depictam habitu satis eleganti, peregrini moris stolam putaverint Severanus et Aringhius, et mirati sint (Bosii, *Roma sotter.*, p. 305, « La figura di donna in habito cosi peregrino che stà nel mezzo non sappiamo determinare che cosa sia »).

(1) In tabellis sepulcralibus quibus stratæ sunt ecclesiæ. *Macar.*

(2) Ibidem. *Macar.*

(3) In tabella sepulcrali quam vidit Antonius Bosius, et in ea quæ fuit in pavimento ecclesiæ S. Salvatoris de lauro, et in collegii Salviati sarcophagis. *Macar.*

ad speciem mugilis aut aselli accedens, delphinus (1) unus et alter, major et minor una positi. E volatili : columba solitaria (2), columba cum ramo olivæ (3), columba in cruce vel circa crucem (4), pavo solus (5), pavo super globo (6), avis quædam viridis, phœnix; Aves simul ad eumdem cantharum bibentes (7), Avis apposita phiala (8). E quadrupedibus : Vacca rufa (9), Hircus saliens (10), Aries in vepreto (11), Ovis aut agnus (12); Monstrum mixtum e bove et pisce (13), cui nomen dabo Tauropiscis.

Cernuntur et res arte manuque factæ, ut anchora (14), modius (15), navis concita vento (16), porta (17), figura ejus modi  (18). Nomen Christi duabus literis expressum inter se connexis sic ☧ (19), ali-

(1) In tabellis sepulcralibus erutis ad ornandum altare sacramenti S. Joan. Lateran. ***Macar.***

(2) In tabellis pavimentorum Ecclesiæ. ***Macar.***

(3) Ibidem. ***Macar.***

(4) In sarcophago in domo Marchionis Arignani et in cruce Balbiniana, et in musivis S. Clementis. ***Macar.***

(5) In base lapidea provecta in platea apud statuarium, mediolanense in via. ***Macar.***

(6) In porticu baptisterii Lateranensis. ***Macar.***

(7) In tabellis pro altari S. Joannis. ***Macar.***

(8) Ibidem. ***Macar.***

(9, 10, 11, 12) In Cœmeterialibus Bosii. ***Macar.***

(13) Ibidem. ***Macar.***

(14) In limine, aut ibi prope, portæ sanctæ S. Pauli; et in cippo in hortis Carpensi et in gemmis. ***Macar.***

(15) In tabella pavimenti Ecclesiæ. ***Macar.***

(16) In gemma quam habet Vincentius Cobergius pictor. ***Macar.***


(17) In tabella sepucrali Ant. Bosii. ***Macar.***

(18) In tabella ad ornandum altare S. Joannis. ***Macar.***

(19) Passim in tabellis pavimentorum. ***Macar.***

quando solum, intra coronam aliquando; denique litteræ græcæ A et Ω (1). Quæ omnia et his longe plura, *symboli* nomine possunt censeri, quod aliquid signent, et aliud quam seipsa.

Videas autem etiam nonnulla apposita in tabellis præsertim sepulcralibus, quæ nihil aliud significant quam seipsa; ut sunt fabrilia instrumenta, quæ aliquoties notavi, ideo posita tantum ut cujus esset artis qui ibi sepultus erat significaretur. Inter multa proferam fragmentum quod est in pavimento S. Agnetis:




Quadratariam exercebat is qui depositus erat, cujus

(1) Ibidem. *Macar*.

(2) V. 6 Supple : De*Pos. ff. ll. Valente a*VG. V. ET. VALENTI*niano aug. coss. par*ENTeS ET *a*MICI VALETE.

artis erant ibi sculpta instrumenta. Vidi et tabellam sepulcralem e cœmeteriis erutam, in qua nihil aliud præter instrumenta fabrilis artis, quæ multa sane. Nil ergo habent arcani ejusmodi. Quemadmodum et in sarcophagis reperias quædam otiosa; et ad ornandum, vel potius implendum locum addita : ut in sarcophago in hortis Pincianis Mediceis, cernitur quidam piscans (1); et



in sarcophago ad S. Petrum, sub Helia curru in cælum

(1) Bottari I, tab. XLII. Piscatorem in christiano sarcophago sine causa positum non recte dicit Macarius. Piscator apostolos significat, quos Dominus constituit piscatores hominum, Matth. IV, 19; Marc. I, 17 (cf. Luc. V, 10, ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν). Apostolos ipsos Dominus piscatus est, qui ut Basilius Seleuciensis scripsit in orat. XXIII : Δεῦτε ὀπίσω μου, κ. λ. eum hamo capti secuti sunt : Ὡς ἀληθῶς ἀγκίστρῳ τῷ λόγῳ περιπαρέντες, ἠκολούθουν φθεγγομένῳ δεσπότῃ καὶ ἁλίας τὸν τρόπον ἐν ἑαυτοῖς ἐδιδάσκοντο. Recte quoque

vecto, est affictum simulacrum fluminis. Quibus similia, fieri potest sint in cœmeterialibus picturis. In quibus frequens est videre personas feminarum solitarias, diductis brachiis, in cœmeterialibus passim et ubique; in sarcophagis non nisi in medio. Imo et fossores cœmeteriorum ibi depicti, quorum ars subterraneos illos cuniculos ducere et loca condiendis corporibus aptare, laxare spatia, ducere vias. Qui suo fuerunt in honore in Ecclesia, ut conjicio in libello *De gradibus Ecclesiæ*, Hieronymo adscripto (1). « Primus igitur, inquit, in clericis fossariorum ordo est qui in similitudinem Tobiæ sancti, sepelire mortuos admonentur, ut exhibentes visibilium rerum curam ad invisibilium festinent, et resurrectionem carnis credentes in Domino, totum quod faciunt Deo se præstare, non mortuis, cognoscant. Tales ergo fossarios esse Ecclesiæ convenit, qualis Tobias propheta fuit, ejusdem fidei, ejus sanctitatis, ejus scientiæ atque

---

velut piscantem Dominum inducit idem Basilius in orat. XXII :



Δεῦτε πρός με πάντες κ. λ. Domini vox καθάπερ εὐρεία σαγήνη πρὸς πλατὺ πέλαγος πλατυνθεῖσα, τὰ τῶν πανταχόθεν ἰχθύων ἀγρεύει συστήματα. Christum piscatorem, credo, exhibet gemma a Vallarsio edita Hier. opp. I. 18. Nam Dominus noster, ut Gregorii Nazianzeni verbis dicam : Ἁλιεὺς γίνεται ἵν' ἐκ βάθους τὸν ἰχθὺν ἀνενέγκῃ τὸν νηχόμενον ἐν τοῖς ἀστάτοις καὶ ἁλμυροῖς τοῦ βίου κύμασιν ἄνθρωπον Orat. XXXI, p. 497 ed. Billius, 1630 Paris).

(1) T. V, opp. ed. cit., p. 100.

virtutis. Non ergo putes parvum esse officium fossariorum, aut sicuti ceteri sacerdotes in famulis Dei despicias sacramentum, ac plus diversorum servis deferas, vel amicis, quam Christi in templo, cum preces fundis, cujus membra veneraris, cum omnibus participare te convenit, non solum in altari, sed et domi; cum omnibus esse convivam, atque inter demesticos parietes simpliciter residere. Si amas Tobiam prophetam, et si ejus imitaris exemplum, si imples quod scriptum est, *qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*, cave ne huic officio per superbiam tuam aliqua irrogetur injuria, quam laicus qui minor est Tobia non meretur. » Sed et erant martyria quædam depicta. Quemadmodum videor inter alias picturas cœmeteriorum observasse eam, qua Joannem evangelistam in dolio olei ferventis pingi mihi fit verisimile (1). Et Prudentius ipse in hymno Beati Hippolyti, ait in cœmeterio quod ibi commemorat, martyris illius historiam fuisse egregie depictam his verbis (*Peristeph.* XI, v. 123 sqq.):

> Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
>   Multicolor fucus digerit omne nefas.
> Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
>   Effigians tracti membra cruenta viri.
> Rorantes saxorum apices vidi, optime Papa,
>   Purpureasque notas vepribus impositas.
> Docta manus virides imitando effingere dumos,
>   Luserat et minio russeolam saniem (2).

(1) In picturis hactenus editis ejus nihil invenio quod possit ad picturam illam referri, de qua Macarius meminit.


(2) Historiam totam martyrii S. Euphemiæ picturis in linteo

Postremum, quod mirum est, observabis et poeticam Orphei fabulam depictam, et quidem sæpissime, eamque locis insignioribus picturarum inter valde sacra admixtam; quam otiosam non esse, nec ponendam inter ea quæ tantum ornant, post docebo.

---

redditam narrat S. Asterius qui sæculo quarto episcopus Amasiæ fuit. Hujus locum recitant Patres in act. IV synodi generalis septimi.









LIBER SECUNDUS.

De sacrarum picturarum et sculpturarum significatione.

Cum jam enumeravimus ea quæ pinguntur aut sculpuntur si non omnia, saltem bonam eorum partem, extra ea quæ musivis absidum aut lateribus parietum interioribus indita sunt, de quibus quæ dicenda videbantur attigimus, cumque rationem picturæ et modum in singulis ostenderimus, restat dicere quo sensu et significatione singula sunt apposita; in quo nitar auctoritate veterum, quoad ejus fieri poterit. Nec vero hic tenebo eundem ordinem quem in enumerando servavi, non tamen longe ab eo recedam. Ab Abele enim sumam ini-

tium, de quo audiamus Basilium Seleuciæ episcopum, quo referri debeat, in oratione de Cain et Abele. « Mortali, inquit, vita justi cum occiduntur, privantur; a bona vero spe ne mortui quidem excidunt. Imo vero tunc amplius possunt, dum habent, adversus eum qui injuriam fecit, patrocinantem mortem. Et quod maximum, mortis solutionem et resurrectionis odorem quemdam hominibus evangelizant. Abel enim justus primus mortis portas ingreditur; Abel Christi, secundum Paulum, umbra. *Sanguine* enim, inquit, *aspersionis melius loquente quam Abel;* decebat enim sanguine justi resurrectionis adumbrare tabulas. Si enim mortis occasio transgressio, qui morti materiam non suppeditavit manet et in mortuis, ob bonum mentis statum, liber. O rem mirandam! in vestibulo mortis, resurrectionis legitur scriptura. » Sed et Epiphanius clare idem adstruit in Anchorato, c. XCVI : « Ubi enim, inquit, non dixit Scriptura de resurrectione? primum sanguis Abel prædicat. *Post mortem* enim *adhuc loquitur,* dicit Scriptura. Enoch transpositus est, et non inveniebatur, et non vidit mortem. Complacuit Noe Deo, arcam construxit et præcepto Dei regenerationem sibi ipsi operans ac efficiens per propriam domum. Abraham senex acquirit filium, mortificato jam corpore, et ex mortuis Deus spem largitus est, maxime cum uterus Saræ emortuus esset; et quod inveteratum erat et ferme ad deletionem pervenerat juxta consuetum mulieribus morem, ipse videlicet resiccatus fons, rursus vim accepit ad seminis ejectionem. Et anicula juvenculæ fert partum; et Isaac a morte vivens patri traditus est; Deus enim qui ex resurrectione mortuorum patri filium

tradidit viventem, spem prædicabat. Joseph indicat hanc rem, non in secundo loco ponens ossium spem : curam enim habebat talium non velut pereuntium, sed quæ rursus revictura essent, et præcipiebat ea afferri ex Ægyptiorum regione. Non frustra hoc Joseph significabat, *comportate mihi ossa dicens : visitatione enim visitabit vos Dominus.* Si non spes fuisset resurrectionis, qualis esset ossium cura, ut de corruptilibus ossibus præciperent justi? » Et post quædam : « Ostendit hoc et virga Aaron, quæ per multos annos arida fuit, et in tabernaculo a vespere usque ad matutinum relicta. Veritas enim Dei præcepto operatur, non imaginatione; nam in omnibus corrigens nostram cogitationem, per Moysem declaravit veritatem. Cognovit enim propheta quod id quod factum, non erat factum in apparentia, sed veritate, in eo quod aufugeret. Si enim imaginatio fuisset quod factum erat, non aufugisset a conspectu serpentis. At ut ne rursus hoc offendiculum præberet contentiosis, et dicant quod alia erat virga, Deus vero dedit ipsi aliud corpus sicut voluit; primum quidem, igitur discant, quod non aliam pro alia nominavit, sed illam ipsam quæ arida erat, animavit. Quoniam hoc datum virgæ corpus, et motum ab ipso, genus sive speciem Deus in judicium non vocabat, neque pro virga draconem indicare voluit; sed certitudinem resurrectionis per virgam operatus est, et propriam potentiam Deus ostendit, et sub unam vocem, difficultatem Deus facilem effecit. Germinavit enim arida virga, et folia emisit et fructus maturos : similia enim ostendit Deus futuræ ab ipso resurrectionis. » Qua in auctori-

tate, non solum Abelem habes ad resurrectionem advocare, sed et Noe, Abraham, Joseph, virgam Aaron; verum et in secta Samaritanorum, quædam e supradictis adfert ad argumentum resurrectionis, Henoch, Saram, Jacob, Moysis virgam, quæ jam in depictis recensuimus. Quanquam de hac ipsa virga Moysis, fusius in *Anchorato;* in quo de Henoch et Elia breviter perstringit: c. C. « Quo vero in duobus corporibus declararem vobis perfectam resurrectionem, et ut ne quis ambigat, duos characteres duorum primogenitorum nostræ resurrectionis proponam, Enoch et Eliam nempe. »

Nec Moysis solum virga et Aaronis, sed universa Moysis miracula ad resurrectionis fidem ab Epiphanio assumpta perpulcre, *Hæresi* LXIV. Quomodo autem Elias curru raptus, Jonas, tres pueri in camino ignis, resurrectionis argumentum contineant, docet Irenæus lib. V, c. v, 2. « Si autem quis impossibile existimet tantis temporibus permanere homines, et Heliam non in carne assumptum, consumptam autem carnem ejus in igneo curru; intendat quoniam Jonas quidem in profundum projectus est; et in ventrem ceti absorptus, salvus iterum exsputus est terræ jussu Dei. Ananias etiam et Azarias et Mizael missi in caminum ignis septuplum exardentem, neque nociti sunt aliquid, neque odor ignis inventus est in eis. Quæ igitur affuit illis manus Dei, et inopinata et impossibilia naturæ hominis in eis perficiens, quid mirum si in his qui translati sunt, effecit aliquid inopinatum, deserviens voluntati Patris? Hic est autem Filius Dei, quemadmodum Scriptura ait dixisse Nabuchodonosor regem : *Nonne tres viros misimus in*

caminum ignis, et ecce video quatuor deambulantes in medio ignis, et quartus similis filio Dei. Neque igitur natura alicujus eorum quæ facta sunt, neque infirmitas carnis fortior erit supra voluntatem Dei. Non enim Deus his quæ facta sunt, sed ea quæ facta sunt subjecta sunt Deo, et omnia serviunt voluntati ejus. Quapropter et Dominus ait : *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Quemadmodum igitur his qui nunc sunt hominibus ignorantibus dispositionem Dei, incredibile et impossibile videtur tantos annos aliquem hominem posse vivere; et vixerunt hi qui ante nos fuerunt, et vivunt qui translati sunt ad exemplum futuræ longitudinis dierum; et de ventre ceti et de camino ignis salvos exisse, et tamen exierunt, educti velut manu Dei ad ostensionem virtutis ejus : sic et nunc, quamvis quidam ignorantes virtutem et promissionem Dei contradicant suæ saluti, impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare, non tamen incredulitas talium evacuabit fidem Dei. » Sed Tertullianus libro *de Resurrectione*, clare eodem refert tres pueros : *Corporum*, inquit, *e resurrectione futuræ integritatis documento fuerunt vestimenta filiorum Israelis indetrita quadraginta annis, et quod Babylonii ignis trium fratrum nec tiaras nec sarabara læserunt.* Quidni igitur in eumdem sensum trahatur Daniel, quem leonum implacabilis feritas non læsit! Quo et trahit Clemens Romanus.

Cur autem David et Tobias ad resurrectionis evidentiam appinguntur? An forte in pugna Davidis cum gigante Goliath, erit aliquid quod ad mortis, quæ uti

gigas magnus omnes devincebat, et pusillum Christum tiam in certamen provocavit a quo tamen devicta est, necem pertineat? Qua evecta efflorescit resurrectio. Quem sensum et funda illa mihi videtur insinuare, cum qua pingitur interdum David. De Tobia non parum me adjuvat Beda, qui, libro *Allegoriarum* in Tobiam (1), paulo aliter illud de pisce quam alii, explicat, his verbis : *Passionis dominicæ sacramentum manifeste significatur. Piscis enim immanis qui a Tobia, cum eum devorare appeteret, angelo docente occisus est, antiquum generis humani devoratorem, hoc est diabolum, significat; qui dum in redemptore nostro mortis carnem appeteret, captus est potentia divinitatis.* Quod si pro diabolo hic mortem, quæ diaboli invidia intravit in orbem, ponamus, annon pulchre se resurrectionis offeret significatio? Ut occinatur illud : « Ubi, mors, victoria tua? » ubi stimulus tuus, inferne? De Helisæ clara res est, de quo ita beatus Ambrosius, lib. *de Fide resurrectionis : Et quid miramur ad vocem Dei refundi animam, redire ossibus viscera, cum meminerimus prophetici tactu corporis mortuum suscitatum ? Helias oravit, defunctum suscitavit infantem.*

De Adam vero, quem postremo hoc loco reservavi, quid dicemus? quem inde resurrectionis odorem eliciemus? Non incommodo Tertullianum huc advoco, qui in *Apologetico*, c. XLVIII, ita disserit : « Animæ non sine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt. Sed quomodo, inquis, dissoluta materia exhiberi potest? Con-

(1) T. IV, p. 592, ed. Basil. 1563.

sidera te ipsum, o homo, et fidem rei invenies. Recogita quid fueris antequam esses. Utique nihil. Meminisses enim si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras, priusquam esses, idem nihil fueris cum esse desieris, cur non potes esse rursus de nihilo ejusdem ipsius auctoris voluntate qui te voluit esse ex nihilo? Quid novi tibi eveniet? qui non eras factus es; cum iterum non eris, fies. Redde, si potes, rationem qua factus es, et tunc require qua fies; et tamen facilius utique fies quod fuisti aliquando, qui æque non difficile factus es quod nunquam fuisti aliquando. Dubitabitur, credo, de Dei viribus; qui tantum corpus hoc mundi, de eo quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis, composuit animatum spiritu, omnium animarum animatore. Signatum et ipsum humanæ resurrectionis exemplum in testimonium nobis lux quotidie interfecta resplendet, et tenebræ pari vice decedendo succedunt; sidera defuncta nitescunt, tempora ubi finiuntur incipiunt, fructus consummantur et redeunt; certe semina non nisi corrupta et dissoluta fœcundius surgunt. Omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur. » Quam sententiam Tertulliani versibus expressit Paulinus *Panegyrico* Celsi, v. 259 seqq. :

Difficile omnipotentis opus fore creditur, ut nos
Ex nihilo factos, ex aliquo reparet?
Nullus eram, et faciente Deo sum factus ut essem,
Jam nunc de proprio semine rursus ero.

Et paulo supra hos versus, 228 seqq :

Cuncta resurgendi faciem meditantur in omni
Corpore : et in terris germina, et astra polo.

Noctes atque dies ortus obitusque vicissim
  Alternant; morior nocte, resurgo die.
Dormio corporeæ sopitus imagine mortis,
  Excitor a somno sicut ab interitu.
Quid sata, quid frondes nemorum, quid tempora? Nempe
  Legibus his obeunt omnia vel redeunt.
Vere resurgentum cunctis nova rebus imago
  Post hiemis mortem vivificata redit.
Quod semel est facturus homo, cui subdita mundi
  Corpora, sub cœlo cuncta frequenter agunt.

Minucius Felix eodem modo priorem sensum attingit, c. XXXIV. *Ceterum quis tam stultus*, inquit, *aut brutus, ut audeat repugnare hominem a Deo ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse; sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari. Porro difficilius est id quod non sit incipere, quam id quod fuerit iterare.* Clemens autem Romanus *Constitutionum* libro V, c. VII, dum idem quod Tertullianus argumentum adfert, etiam Adæ nomen ponit, et rem altius repetit, et variis illustrat rebus quæ ad figuras nostras illustrandas valent. « Quod vero si voluisset, inquit, homines immortales manere, hoc facere potuerit, ostendit id in Enoch et Helia, quos mortem experiri non permisit; item quod potuerit quolibet tempore si voluisset eos in vitam reducere, id facere et per se et per alios, manifestum fecit cum filium viduæ per Heliam excitavit, Sunamitidis filium per Helisæum. Persuasi autem sumus mortem non esse supplicium, ex eo quod sancti illam sunt passi; imo ipse sanctorum Dominus Jesus Christus, vita fidelium, et resurrectio mortuorum. Quare velut in magna civitate versantibus nobis, post certamina inducit brevis tempo-

ris dissolutionem, ut postea unumquemque in vitam æternam vel reprobet vel coronet. Nam qui Adæ et reliquorum corpora ex terra coagmentavit, post dissolutionem ea reparabit; quoniam debetur hæc res rationali hominum naturæ, perpetuo vivere, inquam. Qui igitur corpus dissolvit, idem restituet. Et qui dixit quod accepit Dominus pulverem de terra et formavit hominem, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ et factus est homo in animam viventem; et qui post inobedientiam dixit : *Terra es et in terram reverteris;* idem postea nobis resurrectionem promisit. *Audient* enim, inquit, *qui sunt in monumentis vocem filii Dei, et qui audierint vivent.* Præterea credimus resurrectionem futuram ex Domini resurrectione. Ipse enim qui Lazarum quatriduanum in vitam reduxi, et Jairi filiam et viduæ filium, seque ipsum mandato Patris die tertia excitavit, quod est pignus et arrha resurrectionis nostræ. *Ego* enim, inquit, *sum resurrectio et vita.* Quique Jonam post tertium diem vivum incolumemque de ventre ceti eduxit, et tres pueros de Babylonico camino, et Danielem ex ore leonum liberavit, is quoque nos poterit a morte liberare et excitare... Nam qui de virgine sibi corpus paravit, is reliquorum hominum instituit originem, qui ipse fecit et illud; is omnes sepultos in vitam revocabit. Qui ex uno grano multum tritici de terra excitat, et abscissæ arbori regerminantes surculos restituit, et arefactæ virgæ Aaron reddidit viriditatem, ille ipse nos quoque suscitabit in gloria. Et qui paralyticum incolumem restituit, aridam manum habentem curavit, cæco a nativitate, luto de sputo ac terra facto mancam partem reddidit,

idem ille nos in vitam reducet. Quique ex quinque panibus et duobus piscibus, quinque hominum millia satiavit ut duodecim cophini superessent, et in vinum aquam convertit, et ex ore piscis per mare Petrum staterem censum petentibus misit, is quoque mortuos suscitabit. Hæc enim omnia de eo testamur, alia contestantur Prophetæ. »

En vides in hac resurrectionis causa appellatas a Clemente etiam novi Testamenti historias, et quidem miracula Christi. Sed ei consonat Irenæus Martyr, libro V, c. XIII : « Dicunt enim nobis (inquit) hi qui contraria dicunt, id est qui contradicunt suæ saluti, summi sacerdotis mortui filia, et viduæ filius qui circa portam mortuus efferebatur, et Lazarus qui in monumento quartam habebat diem, in quibus resurrexerint corporibus? In iisdem ipsis scilicet in quibus et mortui fuerant. Si enim non in iisdem ipsis videlicet, nec iidem ipsi qui mortui erant resurrexerunt. Sed enim *apprehendit*, ait, *Dominus manum mortui, et dixit ei, Juvenis, tibi dico, surge; et sedit mortuus; et jussit ei dari manducare, et dedit eum matri suæ*. Et Lazarum vocavit voce magna dicens : *Lazare veni foras; et exivit*, inquit, *mortuus, colligatis pedes et manus institis*. Hoc symbolum ejus hominis qui inligatus fuerat in peccatis, et propter hoc ait Dominus : *Solvite illum et dimittite eum abire*. Sicut igitur qui curati sunt, in his quæ ante passa fuerunt membra, curati sunt, et mortui iisdem surrexerunt corporibus, membris et corporibus ipsorum percipientibus curationem; et eam vitam quæ dabatur a Domino, per temporalia præformante æterna et ostendente quoniam ipse est qui et curationem plasmati suo et vi-

tam præstare potest, uti ejus de resurrectione quoque credatur sermo. Sic et in fine in novissima tuba clamante Domino resurrecturi sunt mortui, quemadmódum ipse ait : *Veniet hora in qua omnes mortui qui in monumentis sunt audient vocem filii hominis et exibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, et qui mala in resurrectionem judicii.* » Plane et eodem modo Martyr alius Justinus *adversus Tryphonem*, c. LXIX : « A nativitate cæcos, inquit, juxta carnem, surdosque ac claudos sanavit, verbo suo efficiens ut alius saliret, alius audiret, alius videret; excitatis etiam mortuis et ad vitam revocatis, ut operibus pudefaceret ejus sæculi homines ad credendum, agnoscendumque eum difficiles. » Et post : « Et ille hæc faciebat quo certius persuaderet sibi credituros, fore ut etiam si parum integro corpore modo disciplinam a se acceptam custodiat, integrum id in secundo adventu recipiat et insuper immortale nulli corruptioni aut molestiæ obnoxium. »

Audebo ergo etiam adorationem magorum ad resurgendi momentum trahere, ob stellæ præcedentis et ducentis miraculum insigne. Sed quid facit huc Samaritana? Quod ibi miraculum? non hic cogito miraculum ullum, sed verba Salvatoris annoto, quæ ei dixit, Joh. IV, 14 : *Qui autem biberit ex aqua ista quam ei dabo, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Nam quo pertinent hæc nisi ad resurrectionis gloriam? Ad eumdem modum in Christo super asina sedente, non tam considero quod exceptus sit acclamationibus et populi gratulationibus, sed ea quæ cum Sadducæis dis-

putavit post non ita magnum interjectum ab hoc triumpho tempus, Matth., c. XXII, 23: *Accesserunt enim ad eum Sadducæi, qui non credunt resurrectionem,* inquit Matthæus, *ad quorum interrogationes Christus respondens ait, erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; in resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cœlo.* Quemadmodum in Christo ad Pilatum adducto, contemplor non quod captus et adductus stet, sed quod ab eo judice sententiam mortis acceperit, et ad patiendum ductus; qua in passione et morte, stupenda illa miracula mire faciunt ad resurrectionis fidem, atque ita a beato Ambrosio explicantur libro *de Fide resurrectionis:* « Petrus, inquit, in nomine Christi Thabitam surgere atque ambulare præcepit; et redditam sibi pauperes gratulati, crediderunt pro alimentis : et nos adhuc pro salute non credimus? Illi resurrectionem alienam suis lacrymis redemerunt, nos nostram nec Christi credimus passione? qui cum emitteret spiritum ut ostenderet pro nostra resurrectione se mortuum, seriem ipsam resurrectionis exercuit. Simul enim ut clamans iterum voce magna emisit spiritum, terra mota est, et petræ scissæ sunt et monumenta aperta sunt et multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt, et exeuntes de monumento post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem et multis apparuerunt. Si hæc facta sunt cum emitteret spiritum, et incredibilia putamus cum redire cœperit ad judicium? Præsertim cum hæc resurrectio documentum illius resurrectionis et futuræ sit veritatis exemplum; minus autem exemplum est quam veritas. Quis igitur

in Domini passione monumenta aperuit, manum resurgentibus dedit, viam qua civitatem sanctam peterent demonstravit! » Ergo et Petrus suam resurrectioni dat auctoritatem, quem in sarcophagis positum diximus, et passio Christi plenum est resurgendi argumentum : quam ex antecedenti Christi captura designat, ut non pigeat nos in hisce sarcophagorum figuris, multa non ex statu quo sunt figuræ, sed ex consequenti et annexo earum, quid sibi velint expiscari ; uti dicebam etiam de Christo asinum insidente. Atque ita quid sibi velint historiæ e veteri novoque Testamento positæ, quæ in cœmeteriis et sarcophagis pictæ sculptæve sint, quo spectent, ruditer et breviter a me quantum conjectura assequor, sit demonstratum (1).

Pergamus ad symbola et quæ his attexui, eorumque sensum etiam quantum licet, eruamus, et in medium proferamus. Columba cum ramo, iram Dei deferbuisse, pacem factam, et hinc resurgendi viam apertam, quæ ira fervente clausa erat, indicat. Si cum aliis symbolis sola sine ramo ponatur, non video cur non eodem referenda (2). Si in cruce de quo supra monui vel circum crucem, sive Christi nomen decussatum addita corona, ponantur aliquot columbæ, explicavit Paulinus quid

(1) In picturis vel sculpturis interpretandis sequere primos et vulgares sensus. Macarius recte, arbitror, plura ad resurrectionis mysterium significandum sculpta vel picta in sarcophagis et in cœmeteriis retulit.

(2) Columbam sine ramo palmæ vel olivæ satis apertum est modo Spiritum Sanctum, modo Apostolos, nunc fideles repræsentare.

velint, *epistola* ad Severum XII ubi ait ad cruces in basilica nova fundata Nolæ depictas, addidisse versus hos (p. 204, E, ed. Murat.) :

> Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ
> Et Domini fuso cincta cruore rubet
> Quæque super signum resident cœleste columbæ
> Simplicibus produnt regna patere Dei.

Item de eadem :

> Hac cruce nos mundo, et nobis interfice mundum
> Interitu culpæ vivificans animam.
> Nos quoque perficies placitas tibi, Christe, columbas
> Si vigeat puris pax tua pectoribus.

Pavo quod ad resurrectionem commode potest assumi, sciet is qui legerit quæ Augustinus *de Civitate Dei* libro XXI, cap. IV, refert de eo. : « Quis enim, inquit, nisi Deus creator omnium dedit carni pavonis mortui ne putresceret? Quod cum auditu incredibile videretur, evenit ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc avis : de cujus pectore pulparum, quantum visum est, decerptum servari jussimus. Quod post dierum tantum spatium quanto alia caro quæcumque cocta putresceret perlatum, atque oblatum, nihil nostrum offendit olfactum ; itemque repositum est, post dies amplius quam triginta, idem quod erat inventum est; idemque post annum, nisi quod aliquantum corpulentiæ siccioris et contractioris fuit. »

Cum super orbe ponitur in cœmeterialibus figuris pavo, tributam nobis de morte victoriam, atque inde resurgendi fores apertas, notat. Sed quia idem symbolum pavonis super orbe cernitur aliis in locis quam cœmeteriis, quid significari debeat alibi dicemus.

Phœnix, prope dixerim symbolorum omnium phœnix est, quoad resurrectionem; cujus species eadem in picturis sacris et sculpturis cernitur, quæ a Plinio describitur : qui ait magnitudinem aquilæ esse, cristas facie, capite plumeam apicem gestantem; sed et ab Achille Tatio Alexandrino lib. III, c. xxv, *de Leucippe et Clitophonte :* Φοῖνιξ μὲν ὁ ὄρνις ὄνομα, τὸ δὲ γένος αἰθίοψ, μέγεθος κατὰ ταῶνα, τὴν χροιὰν ταὼς, ἐν κάλλει δεύτερος, κεκέρασται μὲν τὰ πτερὰ χρυσῷ καὶ πορφύρᾳ, αὐχεῖ δὲ τὸν ἥλιον δεσπότην καὶ ἡ κεφαλὴ μαρτυρεῖ. Ἐστεφάνωσε γὰρ αὐτὴν κύκλος εὐφυής· ἡλίου δέ ἐστιν ὅτου κύκλου στέφανος εἰκών· κυανιός ἐστιν ῥόδιος ἐμφερὴς, εὐειδὴς τὴν θέαν, ἀκτῖσι κομᾷ, καί εἰσιν αὗται πτερῶν ἀνατολαί. *Phœnix quidem*, inquit, *avi nomen, genus vero Æthiops, magnitudo pavonis; colore pavo est, pulcritudine secundus illi; intertinctas habet pennas auro et purpura. Jactat solem suum dominum, quod caput testatur. Nam cingit ipsum circulus nobilis; circulique corona, solis imago est. Cæruleus est ad instar rosarum, pulcher aspectu; radiis comat, quæ sunt pennæ quædam in altum emergentes.* Ejus etiam figura cernitur in nummo Faustinæ, ex quo liquet æternitatis fuisse symbolum apud gentiles; qui et ipsi avem hanc expressam esse resurrectionis imaginem non inficias ierunt, ut ex Clemente vidimus. Nostrorum autem, Tertullianus ita rem omnem explicat libro *de Resurrectione carnis :* « Si parum universitas resurrectionem figurat, si nihil tale conditio signat, quia singula ejus non tam mori quam desinere dicantur, nec redimi, sed reformari existimentur, accipe firmissimum atque plenissimum hujus specimen. Siquidem animalis est res et vitæ obnoxia et

morti, illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum. Qui, semetipsum libenter funerans, renovat natali fide decedens atque succedens iterum phœnix : Ubi jam nemo, iterum ipse; quia non jam alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc causam, aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam Scripturis suis, Et florebis enim, inquit, velut phœnix, id est, de morte, de funere : uti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. » Eodem modo, ut taceam ceteros multos, Ambrosius, *de Fide resurrectionis :* « Avis in regione Arabiæ, cui nomen est phœnix, redivivo suæ carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit reviviscit, solos non credimus homines resuscitari? Atqui hoc relatione crebra et Scripturarum auctoritate cognovimus, memoratam avem quingentorum annorum spatia vitalis usus habere præscripta, eamque cum sibi finem vitæ adesse præsaga quadam naturæ suæ æstimatione cognoverit, thecam sibi de thure et myrrha et ceteris odoribus adornare, completo opere pariter ac tempore, intrare illo atque emori, ex cujus humore oriri vermem, paulatimque eum in avis ejusdem figuram concrescere, usumque formari, subnixam quoque remigio pennarum renovatæ vitæ officia munere pietatis ordiri. Nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum resurgentis in qua deficiens occidit, et occidens resurrexit, ex Æthiopia in Lycaoniam vehit, atque ita resurrectione avis hujus locorum incolæ completum quingentorum annorum tempus intelligunt. Ergo isti avi quingentesimus resurrectionis annus est, nobis millesimus. Illi in hoc sæculo,

nobis in consummatione mundi. Plerique etiam opinantur quod avis hæc rogum sibi ipsa succendat, et rursus de favillis suis et cineribus reviviscat. In *Hexaemeron*, lib. V, cum eadem de avi dixisset, ita concludit : « Doceat igitur nos hæc avis vel exemplo sui resurrectionem credere, quæ et sine exemplo, et sine rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et utique aves propter hominem sunt, non homo propter aves. Sit igitur exemplo nobis quia auctor et creator omnium sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui avem unicam perire non passus, resurgentem eam suo semine voluit reparari. » Nil mirum ergo si sepulcro Maximi a martyre Cæcilia hæc avis afficta fuerit, ut in ejus gestis habetur. Quem alitem dum perpulcro carmine describit Lactantius, seu quisquis ille est, indicat quod omittere non debeo, eum gaudere arbore palma. Sic enim ait, v. 61, sqq. :

Ut reparet lapsum spatiis urgentibus ævum (phœnix)
Assueti nemoris dulce cubile fugit.
Cumque renascendi studio loca sancta reliquit,
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæva volatus
Phœnicis nomen cui dedit ipsa vetus,
Secretosque petit deserta per avia lucos.
Hic ubi per saltus silva remota latet.
Tum legit aerio sublimem vertice palmam
Quæ gratum φοῖνιξ, ex ave nomen habet.

Ovidius, *Metamorphoseon* XV, v. 392, sqq., dum phœnicis meminit, idem attingit :

Una est quæ reparet, seque ipsa reseminet ales,
Assyrii phœnica vocant : nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, et succo vivit amomi.

Hæc ubi quinque suæ complevit sæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ
Unguibus et duro nidum sibi construit ore;
Quo simul ac casias, et nardi lenis aristas
Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha,
Se super imponit, finitque in odoribus ævum.

Plinius, etiam *Historiæ naturalis* lib. XIII, cap. IV, aliquid de cognatione palmæ cum phœnicè refert : « At in meridiano orbe præcipuam, inquit, (inter palmas) obtinent nobilitatem Syagri, proximamque margarides. Eæ breves, candidæ, rotundæ, acinis quam balanis similiores. Quare et nomen a margaritis accepere. Una earum arbor in Chora esse traditur, una et Syagrorum, mirumque de ea accepimus cum phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepisse, emori ac renasci ex seipsa, eratque cum hæc proderem fertilis. » In Scriptura porro sacra, nonnullibi pro voce *palma*, reponunt aliqui veterum *phœnicem*, aut exponunt. Tertullianus enim in eo versu psalmi : Justus ut palma florebit, pro palma *phœnix* habet in iis verbis, quæ supra ex eo protuli : *Deus enim in Scripturis suis :* « Et florebit enim, inquit, velut phœnix, de morte, de funere. » Beda autem commentario in Job, ad eum locum : *dicebamque in nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies*, etiam, *sicut phœnix*, exponi posse censet. « Nidus, inquit, ejus exterior homo intelligendus est, qui de fœno carnis illius compositus a Deo fuerat et constructus. Omnis enim caro fœnum est. In hoc igitur nido semper sub testificatione dicebat, dum vitiis mundi et ejus concupiscentiis non vivebat, odio illam habens quæ carnalis est maculatam tunicam. Palma autem ar-

bor secundum Græcos φοῖνιξ dicitur. Avis quoque illa quam multis sæculis quidam vivere autumant, phœnix eodem nihilominus vocabulo nuncupatur. » Potuit fortassis de eadem hoc loco dixisse, ut sicut illa nidum sibi faciens, in ipso post multa tempora, a semetipsa dicitur concremari, et rursus de ejusdem nidi cineribus fertur intra breve tempus resurgere, quæ deinceps multis vivat temporibus. Fieri ergo potest ut S. Job in similitudine avis illius dicat se post mortem in cinere carnis velut in nido pro tempore futurum, et inde resurrecturum in gloriam. Atque hos esse æternos ac beatos dies, quos multiplicandos sibi fidelis Dei cultor exspectet. Ita enim et superius est locutus dicens : *Et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum.* Bene babet phœnicis vocabulum duo significare, quæ miram habent in resurrectione et immortalitate figuranda cognationem. Palma vernat perpetuum. Avis efflorescit in vitam. Quæ ratio fuerit meo judicio cur in absidibus et sarcophagis palmarum ad latera Christi positarum una semper habeat Phœnicem insidentem (1). Si quando fuerint in symbolis aves ad eumdem craterem, seu cantharum bibentes, resurrectionis fructum et gratiam, nempe concordiam beatorum, qui se nulla in re disturbant, sed de eadem plenitudine bibunt concorditer, intelligi dabit. Si avis una, phiala apposita, pertinere potest ad saturitatem et copiam, cum enim singulis avibus appositum vas fuerit angusti orificii, inde famem aut sitim quævis explere

(1) Phœnix illi semper palmæ additur, quæ Ecclesiam ex circumcisione designat, certe ad Hierusalem novam significandam.

poterit sola, nulla alia impediente bestia, quæ ei præriperet cibum. De ave illa solitaria viridi locus erit infra dicendi. Piscis mysterium omne petendum e versibus sibyllinis de Judicio extremo, quos exornat acrostichis, id est, literæ primæ cujusque versus quæ constituunt dictiones. De quibus ita Augustinus lib. XVIII, de Civitate Dei, c. XXIII : « Hæc sane, inquit, Sibylla Erythræa quædam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in latina lingua versibus male latinis et non stantibus legimus, per nescio cujus interpretis imperitiam, sicut post cognovimus. Nam vir clarissimus Flaccianus (qui etiam proconsule fuit, homo facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ) cum de Christo colloqueremur, græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, ubi ostendit quodam loco in capitibus versuum, ordinem literarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur. ΙΗCΟΥC ΧΡΕΙCΤΟC ΘΕΟΥ ΥΙΟC CΩΤΗΡ, quod est latine : Jesus Christus Dei filius Salvator. Hi autem versus, quorum literæ primæ istum sensum quem diximus reddunt, sicut eos quidam latinis et stantibus versibus est interpretatus, hoc continent :

Judicii signum : tellus sudore madescet
E celso rex adveniet per sæcla futurus :
Scilicet in carne præsens ut judicet orbem :
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis,
Celsum cum sanctis ; ævi jam termino in ipso
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipse.
Cum jacet incultus densis in vepribus orbis,
Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis, pontumque polumque,
Inquirens tetri portas infringet averni.

Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur : sontes æterna flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur
Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis jubar, et chorus interit astris,
Volvetur cælum, lunaris splendor abibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime vel altum ·
Jam æquantur campis montes, et cærula ponti.
Omnia cessabunt : tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Sed tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum, variosque labores
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens,
Et coram hic Domino reges sistentur ad unum,
Recidet e cælo ignisque et sulfuris amnis.

In his latinis versibus de græco utrumque translatis ibi non potuit ille sensus occurrere, qui fit, cum literæ quæ sunt in eorum capitibus connectuntur, ubi Y litera in græco posita est, quia non potuerunt latina verba inveniri, quæ ab eadem litera inciperent et sententiæ convenirent. Hi autem sunt versus tres, quintus, et octavus decimus, et nonus decimus. Deinde literas quæ sunt in capitibus omnium versuum connectentes, horum trium quæ scriptæ sunt non legamus, sed pro eis Y literam, tanquam in eisdem locis ipsa sit posita recordemur, et exprimitur in quinque verbis *Jesus Christus Dei filius Salvator,* sed cum græce hoc dicitur non latine. Et sunt versus viginti et septem, qui numerus quadratum ternarium solidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt novem. Et ipsa novem si ter ducantur, ut ex lato in altum figura consurgat, ad viginti septem perveniunt. Horum autem græcorum quinque verborum quæ sunt IHCOYC XPEI-

ΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ, quod est latine, Jesus Christus Dei filius Salvator, si primas literas conjungas, erit ΙΧΘΥΣ, id est piscis, in quo nomine intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate vivus, id est, sine peccato esse potuerit. » Hæc Augustinus. Eusebius versus ipsos græcos Sibyllæ commemorat in λόγῳ βασιλικῷ, c. XVIII, seu oratione Constantini. Qui et ipsi in libris oraculorum Sibyllinorum reperiuntur. (*De Vita Constantini*, p. 383, ed. Heinichen, *Orac. Sibyll.*, p. 150, ed. Friedlieb.)

ΙΗϹΟΥϹ ΧΡΕΙϹΤΟϹ ΘΕΟΥ ΥΙΟϹ ϹΩΤΗΡ

Ἰδρώσει δὲ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.
Ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι καὶ κόσμον ἅπαντα.
Ὄψονται δὲ Θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.
Ὕψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο,
Σαρκοφόρων (1) ἀνθρώπων ψυχὰς βήματι κρίνων·
Χέρσος ὅταν ποτὲ κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθα γένηται·
Ῥίψουσιν (2) δ' εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα,
Ἐκκαύσει (3) δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν
Ἰχνεῦον (4), φλέξει δὲ πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο.
Σὰρξ τότε πᾶσα βροτῶν (5), ἐπ' ἐλευθέριον φάος ἥξει·
Τῶν ἁγίων (6), ἀνόμους δὲ τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει·
Ὁππόσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει,

Lectiones variantes, præcipue ex Eusebio :
(1) Σαρκοφόρον ψυχάς τ' ἀνδρῶν ἐπὶ βήματι κρινεῖ.
(2) Ῥίψωσί τ'.
(3) Ἐκκαύσῃ.
(4) Ἰχνεύων, ῥήξῃ τε.
(5) Νεκρῶν, ἐς.
(6) Τοὺς ἁγίους.

Cτήθεα γὰρ ζοφόεντα Θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει·
Θρῆνος δ' ἐκ πάντων ἥξει (1), καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
Ἐκλείψει δὲ φαὸς σελας ἠελίοιο καὶ ἄστρων (2).
Οὐρανὸν εἰλίξει μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
Ὑψώσει δὲ φάραγγας ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.
Ὕψος δ' οὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται·
Ἶσά τ' ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα
Οὐκ ἔτι πλοῦν (3) ἕξει γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ
Cὺν πηγαῖς ποταμοὶ δὲ (4) καχλάζοντες λείψουσιν.
Cάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Ὠρύουσα μύσος μελέων (5) καὶ πήματα κόσμου.
Ταρτάρεον (6) δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα
Ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα Θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
Ῥεύξει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πῦρ ἠδέ τε θεῖον.

Huc usque pertingunt versus ab Augustino citati. Verum acrostichis illa pergit ulterius per literas nominis CTAYPOC, *id est* CRVX.

Σῆμα δὲ (7) πᾶσι βροτοῖσι τότε σφραγὶς ἐπίσημος,
Τὸ ξύλον ἐν πιστοῖς, τὸ κέρας τὸ ποθούμενον ἔσται.
Ἀνδρῶν εὐσεβέων ζωὴ, πρόσκομμα δὲ (8) κόσμου,
Ὕδασι φωτίζων κλητοὺς (9) ἐν δώδεκα πηγαῖς
Ῥάβδος ποιμαίνουσα, σιδηρᾶ τε (10) κρατήσει
Οὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐνακοστιχίσιν (11) Θεὸς ἡμῶν
Σωτὴρ ἀθάνατος, βασιλεὺς ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν.

Lectiones variantes.

(1) Ἔσται.

(2) Σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορείας.

(3) Εἰς πλοῦν ἥξει.

(4) Τε.

(5) Μελεόν.

(6) Ταρταρόεν χάος δείξει τότε.

(7) Τοι τότε πᾶσι βροτοῖς ἀριδείκετον οἷον.

(8) Τε.

(9) Πιστούς.

(10) Σιδηρείη γε.

(11) Ἀκροστιχίσις.

Qui sequuntur versus, ultra acrostichida sunt, faciunt tamen ad sensum superiorem.

Ὃν Μωσῆς ἐτύπωσε προτείνας ὠλένας ἁγνὰς
Νικῶν τὸν Ἀμαλὴκ πίστει, ἵνα λαὸς ἐπιγνῷ
Ἐκλεκτὸν παρὰ Πατρὶ Θεῷ καὶ τίμιον εἶναι.

Non id tacendum quod in capite versuum Sibyllæ Græcorum vox XPEICTOC per EI scribatur contra veram scribendi rationem; sed hic error familiaris fuit Græcis ut pro I sæpissime ponerent EI : ut in antiquis marmoribus videre est, nummis et libris calamo exaratis, ut supersedeam exemplis. Acrostichidem autem illam agnoverunt etiam et observarunt gentiles, et de se fatetur Cicero (*de Divinatione*, lib. XI): « Sibyllæ versus, inquit, observamus quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres nuper falsa quædam hominum fama dicturus in senatu putabatur, eum quem revera lege habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, et in quod tempus est? Callide enim qui illa composuit perfecit ut quodcunque accidisset, prædictum videretur, hominum et temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebras obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, cum ipsum poema declarat (est enim magis artis et diligentiæ quam incitationis et motus), tum vero ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis quæ Ennius fecit, id certe magis attenti est animi quam furentis, atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ, primis literis illius sententiæ carmen

omne prætexitur, hoc scriptoris est non furentis, adhibentis diligentiam, non insani. » Miror autem illum dicere ex primo versu cujusque sententiæ, primis literis illius sententiæ carmen omne prætexi, quum id non reperiatur in iis libris Sibyllinis quos habemus. Scribit porro Eusebius in dicta Constantini oratione (1), Ciceronem (*de Divinatione*, II, cap. LIV) illud poema (ubi acrostichis Sibyllina est) cum forte perlegisset, in latinum sermonem convertisse, suisque scriptis attexuisse. Sed hos versus magis admirati sunt et perscrutati nostri christiani, et quæcunque erant in eis mysteria, diligentissime perquirentes, eo usque progressi, ut ex primis literis dictionum acrostichidem constituentium vocem componi cernerent, quæ optime in Salvatorem nostrum quadraret ΙΧΘΥΣ id est *piscis*. Et licet Augustinus (*contra Faustum Manichæum*, l. XIII, c. XV) dicat ita de Sibyllis : « Si quid veri de Deo Sibylla vel Orpheus aliive gentium vates ac philosophi dixisse perhibentur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad istorum auctoritatem complectendam. Quantum enim distat de Christi adventu inter prædicationem Angelorum et confessionem dæmonum, tantum inter auctoritatem prophetarum et curiositatem sacrilegorum ! » Tamen lib. *de Civitate*, XVIII, cap. XXIII, ita de hac Sibylla : « Hæc autem Sibylla sive Erythræa, sive, ut quidam magis credunt, Cumana, ita

(1) *Oratio Constantini ad sanct. cœtum*, c. XIX, ed. Heinich. Moneo Ciceronem nihil de hac acrostichide dicere, sed tantum Sibyllam acrostichidibus sua oracula ubique fundere.

nihil habet in toto carmine suo, cujus exigua ista particula est, quod ad deorum falsorum sive fictorum cultum pertineat, quin imo ita etiam contra eos, et contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numerum deputanda videatur, qui pertinent ad civitatem Dei. » Sane Origenes (lib. V, *contra Celsum*) ait christianos a gentilibus fuisse vocatos *Sibyllistas*, quod adversus gentiles Sibyllarum testimoniis uterentur. Et Clemens (lib. VI, *Stromaton*, c. v) : « Quomodo Deus, inquit, Judæos salvos esse voluit, dans eis prophetas : ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, a vulgo secrevit, præter Petri prædicationem declarabit Paulus Apostolus, dicens : Libros quoque græcos sumite, agnoscite Sibyllam quomodo unum Deum significet, et ea quæ sunt ventura, et hystaspen sumite et legite. » E Clemente romano supra vidimus aliud e Sibyllis petitum testimonium. Non ergo laude caruerunt apud christianos Sibyllæ, quarum vaticinia præmia virginitatis earum, ait Hieronymus *adversus Jovinianum :* atque ejusmodi sunt ut multis conveniant cum propheticis dictis : quod conferenti planum erit. Nec id incognitum fuit veteribus illis christianis, qui hanc consensionem Sibyllæ prophetarumque avidis animis excipiebant, exsultabantque quod ex ore gentili tam præclara de Christo dicta et mysteria promerentur. Quale illud est de piscis inventa nomenclatura, in primis literis dictionum acrostichidis. Quæ observatio quantopere placuerit, ostendunt præter Augustinum, alii veterum. Optatus Afer (l. III, *adversus Parmenianum*) : « Hic est piscis, inquit, qui in bapti-

smate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem græcam in uno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet, Ἰχθύς, quod est latine Jesus Christus Dei Filius Salvator.» Sed et ante eum Tertullianus (*de Baptismo*) : « Nuper, ait, conversata istis quædam de Gaiana hæresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens plane secundum naturam : Nam fere viperæ et aspides ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum Jesum Christum, in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanentes salvi sumus. Ita Quintilla monstrosissima cui nec integre docendi vis erat, optime norat pisciculos necare, de aqua auferens. » Quin et Hieronymus piscem, cujus in ore stater a Petro inventus est, Christum interpretatur. « Piscis, inquit, primum captus, in cujus ore erat stater, qui solutus est vectigal exigentibus, Christus seu secundus Adam fuit, cujus sanguinis pretio ipse et primus Adam, et Petrus, id est, ceteri peccatores redempti sunt. » Sic et piscis a Tobia captus ad Christum refertur ab eodem Optato, paulo ante citata ex eo verba sic : « Christus intelligitur per piscem, qui in lectione patriarchæ legitur in Tigride flumine prehensus, cujus fel et jecur tulit Tobias, ad tutelam feminæ Saræ et ad illuminationem Tobiæ non videntis. Ejusdem piscis visceribus, Asmodeus dæmon a Sara puella fugatus est (quæ intelligitur Ecclesia) et cæcitas a Tobia exclusa est. » Sic et Augustinus (Serm. IV, *de SS. Petro et Paulo*) : « Est enim, ait, Christus ille piscis

qui ad Tobiam ascendit de flumine vivus, cujus jecore per passionem assato, fugatus est diabolus, et per amaritudinem fellis laxatus est cæcus et illuminatus est mundus. »

Cum Delphin major et minor apponuntur, ut alibi vidi, facile ex iis quæ paulo ante e Tertulliano attulimus, sciemus quid velint, majorem esse Christum, minorem nos qui in ejus piscina nascimur et vitam capimus.

Symbola e quadrupedibus fere suppeditavit nobis pictura sacelli subterranei, in cœmeterio ad viam Appiam, quod longe lateque se diffundit prope S. Sebastianum Romæ. In eo sacello tholus ipse habet apicem seu fastigium una pictura Orphei expletum : circumquaque ad latera sunt octo distinctæ locis picturæ, in quibus alternæ sunt historiæ, alterna animalia ; nempe, Daniel inter leones; tum vacca rufa in campo; hinc Christus excitans Lazarum ; inde monstrum capite bovino, et reliquo corpore in piscem desinens; post, David cum funda; post, hircus prosiliens ; post, Moyses rupem percutiens, postremo aries cum vepreto (1). De historiis nihil hic repetendum. Sed quid animalia velint laborandum. Apposita, credo, ad utramque Christi naturam et præcipue humanam qua passus, designandam.

De vacca rufa (*Numeror.* cap. XIX, v. 2, sqq.) habetur. « Præcipe (inquit Dominus Moysi) filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ in qua nulla

---

(1) Aringhi I, p. 316, Bottari, tav. LXIII, Perret, *Catacomb.* I, XXXIV bis ; quibus collatis patet Macarium non recte hircum et tauropiscem excitasse, qui hic non apparent.

sit macula, nec portaverit jugum, tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium, et tingens digitum in sanguine ejus asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus quam sanguine et fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum lotis vestibus et corpore suo ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperam. Sed et ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperam. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam et in aquam aspersionis, quia pro peccato vacca combusta est. » Quæ omnia extra controversiam Christum figurant, ut explicat Augustinus (Quæst. XXXIII, *in Numeros*), ubi sic ait post multa : « Hanc ergo passionem Domini nostri Jesu Christi, velut distinctione duorum Testamentorum, hoc quod de juvencæ rufæ mactatione narratur, satis congrue præfigurat. » Et infra : « Juvenca rufa carnem Christi significat. Sexus femineus est propter infirmitatem carnis. Rufa est propter ipsam cruentam passionem. » Sed fusius et distinctius Theodoretus (Quæstione XXXVI, *in Numeros*) : « Hanc quidem, inquit, afferri pro peccato populi lege cavit : verum præfigurat salutarem passionem, quæ mundi peccatum abstulit. Sed vaccam rufam offerri præcipit, ut corpus terrenum prænotet, quia nomen Adæ terram rubram significat, ex qua corpus ipsius

formatum est. Quod autem vacca macula careat, expertem peccati Christum Dominum innuit. Quod vacca jugum subiisse non debeat, Christi libertatem subindicat. Jugum enim denotat servitutem. Atqui Dominus, cum ab eo postularetur didrachmum, inquit: Num liberi sunt filii? Quod vero vacca mactatur extra castra, passionem Salvatoris extra portam præsignat. Sed hæc manifestius docet divinus apostolus in epistola ad Hebræos. Totamque vaccam una cum pelle et reliquis cremari mandavit, quia omnia quæ pertinebant ad Christum Dominum erant munda: lignum cedrinum crucis erat figura. Sicut enim illud immune erat a corruptela, ita lignum crucis vivificat; coccinum autem erat typus sanguinis dominici. Hyssopus etiam aderat, quia calor vivificus dissolvit frigiditatem mortis. Eum tamen qui cremavit vaccam, impurum esse dicit usque ad vesperam, ad denotandum eos qui Christum crucifixerunt Dominum. Atque hujusmodi cinere aqua permisto circumspergi præcepit eos qui accessissent ad mortuos aut eorum ossa attigissent, aut aliquo alio essent polluti. Et homo, inquit, qui non fuerit purificatus, peribit anima illa de medio congregationis, quia expiationis aqua non fuerit lustratus. Ita Dominus in sacris Evangeliis ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non ingredietur regnum cœlorum. Hircus saliens est ille qui in libris Patrum et Scriptura vocatur caper emissarius χίμαρος ἀποπομπαῖος. De quo *Levitici* cap. XVI, v. 7, sqq., ubi Dominus ait: « Suscipietque (Aaron) ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum; cumque obtulerit vitu-

lum et oraverit pro se et pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario, cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato. Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino et fundat preces super eum, et emittat eum in solitudinem! » Et post nonnulla : « Postquam emundaverit sanctuarium et tabernaculum et altare, tunc offeret hircum viventem et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum ; quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. » Hujus utriusque hirci mysterium omne aperit Cyrillus Alexandrinus epistola *de eodem capro* ad Acacium, quæ inseritur concilio Ephesino. « Contemplandus igitur, inquit, in occiso hirco ipse Emmanuel, dum fuit in morte secundum carnem ad dissolutionem mortis et peccati. Erat enim in mortuis liber, id est non captivus peccati et non reus pœnæ mortis. Videamus ipsum in alio hirco vivente et dimisso, qui, dum patiebatur secundum humana, non patiebatur secundum divina, et dum moreretur carne, morte superiorem, et non remanentem secundum Judæorum opinionem, nobiscum in monumentis et detentum intra portas mortis una cum aliis. Ut enim ipse discipulus ait, neque relicta fuit in inferno anima ejus neque caro ejus vidit corruptionem. Revixit enim spoliato inferno, et iis qui in vinculis erant, dixit : Exite, et qui in tenebris erant : Relevamini, et ad supremum et in cælis manentem Patrem et regionem hominibus inac-

cessum gressus est. » Avis illa solitaria, quamvis illi color a pictore viridis appictus est, erit ille passer emissarius, ideoque locum hic habet ut explicetur, de quo *Levitici* XIV, v. 48, sqq. « Quod si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo postquam demolita fuerit, purificabit eam reddita sanitate; et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum et vermiculum atque hyssopum; et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, tollet lignum cedrinum et hyssopum et coccum et passerem vivum; et tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et asperget domum septies; purificabitque eam tam in sanguine passeris immolati, quam in aquis viventibus et in passere vivo, lignoque cedrino et hyssopo atque vermiculo. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo et jure mundabitur. » Utriusque passeris significationem et arcana Cyrillus eadem epistola *de Capro emissario* nobis exprimit his verbis : « Atqui est videre in passerculis ut in hædis, carne quidem passum (Christum) secundum Scripturas, manentem vero et longe supra omnem passionem; et morientem quidem secundum hominem, viventem vero quoad Deum. Vita enim Verbum erat. Etenim sapientissimus discipulus ejus, mortificatum quidem ipsum inquit, carne, vivificatum vero spiritu. Verum, etsi ut pateretur mortem, in propria natura exsors erat Verbum; attamen passionem suæ ipsius carnis accommodat et adaptat sibi tanquam propriam, ut prius dixi. Fingebatur enim vivens passerculus in sanguine mortui. Commaculatus vero sanguine et fere

communicans in passione, in æternum ablegabatur. Abiit enim in cælum Dei filius, cum unita sibi carne, et peregrinum erat in cælis spectaculum. »

Aries in vepreto, est ille, quem Abraham immolavit loco Isaac (Gen. XXII, 13 sqq.): *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus; quem assumens, obtulit holocaustum pro filio.* Basilius Seleuciæ episcopus oratione V, *de Abraham*, pro ariete semper græce nominat πρόβατον, ovem, atque ita explicat: « Quid igitur vox? per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia mihi fecisti hoc verbum, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me, benedicentur in te et in semine tuo omnes gentes terræ. Unum sprevisti: fias universæ terræ pater. Habe cum Isaac filios gentes. Una victima universam terram acquisivisti. Sis Pater gentium: pater enim eris Christi, cujus possessio gentes. Pro tuo unigenito immoletur ovis; meus enim unigenitus, quem gestat in se agnum tradet passioni. Non attingat unigenitum tuum gladius: non enim crux unigeniti mei divinitatem tangit. Circa ovem immolatio, circa dispensationem passio. Ovis cædatur et caro clavis figatur. Ne pervertas imitationem, subjiciens passioni eum qui tibi consubstantialis; ovis cædatur, crucifixi agni ferens imitationem. Vide ovem in arbusto velut in cruce pendentem; hæc clavos admittit, hæc sit victima mundo salutaris. Patitur enim templum habitantis Dei, secundum ipsius Domini vocem: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo ipsum. »

Monstrum illud biforme e tauro et pisce conflatum, vocatum a me Tauropiscis, Christum denotat, et utram-

que in eo naturam, humanam quæ tauro aut bove exprimitur, animali nempe sacrificiis destinato, ut erat caro Christi passioni dedita: divinam, pisce; qui nulli erat accommodatus oblationi a Deo, ideoque impatibilem naturam, optime figurat. Et quia natura humana magis erat obtutibus obvia, divina remotior et secretior; hinc monstri illius prior est pars Tauri, posterior piscis (1).

Ovis vel agnus cum pedo et vase ad pedum apposito, quod forte ad picem servandam aptam illinendis male affectis ovibus, aptatur a me Christo, qui et ovis vel agnus est ille sacer immolatus pro nobis, et una pedum habet ut pastor, et gerit amaræ picis, suæ passionis remedium ad vulnera animarum medicanda (2).



Frequens in musivis absidum, ut jam diximus, agnus major editiore loco, quem circumstant alii agni minores hinc inde ex ordine (3). Qui major, Christus est; alii, oves ex ejus ovili quæ audiunt vocem ejus (4).

(1) Ornamenti causa taurocampos et hippocampos nonnunquam pingunt artifices; mysterii vero nihil subesse putem. Ceterum S. Augustinus (IX, ᾠδὴ δ, p. 54) scribit : « Emisit te Dominus in mare sæculi sapientissime, hippocampi instar, qui conturbares gentilitatis amara æquora ».

(2) Vas illud pedo aptatum est situla sive mulctra ad oves mulgendas.

(3) Omnino pro his agnis, confer schema exhibitum, p. 40.

(4) In sarcophago Juniano agnus major baptizat minorem, cui

Ex arboribus palmæ valde placuerunt ad mysterium, quæ geminæ, ut supra tetigi, ponuntur in musivis absidum hinc inde, et in sarcophagis sunt ad latera Christi; quarum a dextris una phœnicem habet (1), ut jam didicimus; sinistra caret, quod unus sit phœnix. Cujus arboris cum perpetuus viror sit, quin evidens resurrectionis nota sit nemini dubium esse potest, canente psalmista : *Justus ut palma florebit.* In Commentariis in Job Beato Hieronymo attributis, cap. VIII, in illud : *Et in ortu suo germen ejus egreditur*, post quædam sic habetur : « Justus vero non ita ut fœnum florebit, cui, ut dixi, peccatorum gloria comparatur, sed sicut palma florebit, quæ ita in profundum est radicibus stabilita ut nec tempestates metuat, nec solis ardorem formidet. Et cum sub sacrato numero et centum adusque nodos pervenit, quibus altitudo ejus solide continetur, tunc fructus afferet dulcissimos charitatis : in summo scilicet perfectionis fastigio, quo se per incrementa virtutum, quasi per plurimorum quasdam ætates annorum, ascendisse gloriatur. » Sed multo clarius ad resurrectionem refertur ejusdem commentarii cap. XXIX, ad illud : *Dicebamque in nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies.* « Igitur post humilitatem Ecclesiæ, quam in nidulo superius Dominus indicavit, gloriam altitudinis ejus in palma arbore voluit ostendere, cujus radix aspera videtur in terra; unde etiam nidulus appellatur,

---

superstans in aere alis expansis inspirat columba, nempe Spiritus Sanctus.


(1) Cf. schema delineatum, pag. 40.

sed comis pulcra sub cælo, cum ex resurrectione fuerit glorificata, palmæ celsitudinem obtinebit, id est virtutum suarum merita consequetur. » Sed quia duæ palmæ tantum et in absidibus et in sarcophagis ponuntur, potest etiam cogitari allusum esse ad illud *Apocalypsis* Beati Joannis, cap. XI, 4, ubi cum de duobus prophetis, qui præcedent adventum Christi secundum, sic dicat angelus : *Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini stantes;* Quid ni idem fere de apostolis duobus apostolorum coryphæis Dei fidissimis testibus et præconibus queat enuntiari sic? *Hi sunt duæ palmæ in conspectu domini terræ stantes*. Nec longe ab hoc sensu discedit Beatus Ambrosius, qui saltem ad duodecim fontes, quos apostolos dicit, sitas septuaginta palmas, discipulos interpretatur his verbis (1) : « Ad duodecim ergo fontes post Merrham (2) venit populus Israel. Legimus in propheta : *Benedicite Domino de fontibus Israel.* Dominus Christus est, qui non nisi per apostolorum ora discitur, discipulorumque doctrinam. Apostoli dicendi sunt fontes, qui velut omnes purissimi gratia prædicationis exuberant; et post amaritudinem legis, venarum suarum larga sapientia, poculi dulcedinem stillant. Nec mirum si potus dulcis est fontium, in quorum sinu dulcior cibus est palmarum. Apostoli ergo sunt fontes, qui totius terræ faciem doctrinæ suæ flumine rigaverunt, et fatigatis gentium populis potum divini mysterii propinaverunt. Septuaginta autem palmas, juxta apostolicos fontes generatas, septuaginta illos discipulos dixe-

(1) Serm. XXIV, *de Quadrages.*
(2) Μηῤῥᾶν, Mara (Exod. XV, 23).

rim, qui secundo ab apostolis gradu propter salutem hominum diriguntur; quos Lucas Evangelista describens, binos et binos asserit destinatos. Qui vere velut palmæ, post curas hominum cum exsultatione redeuntes, gloriantur apud Dominum sibi et dæmonia esse subjecta. Recte igitur comparantur palmis, qui palmarum præmio diaboli exstitere victores. » Quod si ibi, quia septuaginta sunt palmæ, discipuli sunt, an non et hic quia duæ, apostoli fuerint; et præ ceteris comparentur palmis, qui palmarum præmio præ ceteris exstitere diaboli victores?


Ramus palmæ, qui insculptus aliquando cernitur in tabellis sepulcralibus, victoriam de morte signat : quem ramum et Joannes in *Apocalypsi* VII, 9, gestare sanctos manibus ait ob victoriam e sæculo et reliquis hostibus reportatam.



Beatus Hieronymus in Ezechielis caput XXXIX, allegoriæ insistens, ait inter alia : « ...Quando tabernacula figimus et, inter ceteras frondes, palmarum quoque ramis protegimur, ut perfecta contra hostes victoria demonstretur. » Idem in XLI capitis Ezechielis illud, *Per omnes parietes in circuitu tam intrinsecus quam extrinsecus erant mensuræ suæ*, « Nihil enim, inquit, absque ratione et mensura in templo Dei, et maxime in sanctis sanctorum a Deo factum est. Cælata quoque erant cherubim (haud dubium quin in lignis de pavimento usque ad fenestras pertingentibus) et tam fabrefactæ erant cælaturæ, ut non sculptæ sed appositæ viderentur. Cherubim interpretatur scientiæ multi-

tudo. Igitur intrinsecus in interioribus templi, post scientiæ multitudinem cælantur et palmæ in quibus signum victoriæ est, dicente Apostolo : *Persequor autem ad statum bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu.* » Et licet omnium sanctorum est palma, tamen proprie martyribus quadrare docet B. Ambrosius (Sermone XXIV, *de Quadragesima*) : « Præmium enim quoddam ait est palma martyrii, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, et victrici dextræ gloriosum præstat ornatum. Est plane palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ; atque ideo non marcescit palma, quia martyrii gloria non marcescit. » Nec male conveniunt hic A. Gellii verba (1) de Palma. « Propterea, inquit Plutarchus (2), in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat. »

Ramus olivæ fere ad os columbæ cernitur; et pacem cum Deo compositam, jam dixi significare, uti diluvii cessaverat fluctuatio, cum emissa columba ramum attulit oleaginum. Apud Ethnicos etiam rami oleæ



(1) *Noct. Attic.* lib. III, cap. VI.
(2) *Symp.*, t. VIII, 5. Cf., Strab. XV, 731.

gestatione pacem præfabantur. Statius, *Achilleidos*, II, v. 53, 54 :

> Dixerat, atque ipso portarum in limine regem
> Cernit, et ostensa pacem præfatur oliva.

Et veniam ab hostibus petebant sepeliendi mortuos. Virgilius, XI *Æneidis*, v. 100 sqq. :

> Jamque oratores aderant ex urbe Latina
> Velati ramis oleæ, veniamque rogantes,
> Corpora per campos ferro quæ fusa jacebant
> Redderet, et tumulo sineret succedere terræ.
> Nullum cum victis certamen et æthere cassis.
> Parceret hospitibus quondam, socerisque vocatis.
> Quos bonus Æneas haud aspernanda precantes
> Prosequitur venia, et verbis hæc insuper addit :
> Quænam vos tanto fortuna indigna Latini
> Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
> Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
> Oratis? equidem et vivis concedere vellem.

Ecce veniam illam, pacem vocat, quam petunt oleæ ramos gestantes manibus. Servius in ea verba, *Velati ramis oleæ :* « Non coronati, inquit, nec enim lugentes decebat, sed instructi et ornati, id est in manibus olivæ ramos ferentes. Sic Homerus : Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. Velati autem, ornati, ut illo loco significat : *Victori velatum auro, vittisque juvencum :* quum vittis non aut velentur aut coronentur victimæ, sed ornentur. » Hæc bene Servius. Quo pacto vocem ἐξεστεμμένοι exponit scholiastes in *Œdipode tyranno* Sophoclis, ipso initio, ubi ritus idem suppliciter oleam gestandi :

> Ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή

Τίνας ποθ' ἕδρας τάς δέ μοι θοάζετε
Ἱκτηρίοις κράδοισιν ἐξεστεμμένοι.

Τὸ δὲ ἐξεστεμμένοι, inquit scholiastes, ἀντὶ τοῦ κεκοσμημένοι· εἰώθασι γὰρ τῷ στέφειν χρῆσθαι ἀντὶ τοῦ κοσμεῖν· στέμμα δέ ἐστι τὸ προσειλημένον ἔριον τῷ θάλλῳ. Id est,

O filii : Cadmi prisci nova progenies
Quibus in sedibus hisce mihi sedetis
Supplicibus ramis exornati.

Illud ἐξεστεμμένοι, *coronati, est positum pro* κεκοσμημένοι, *id est ornati. Solent enim græci uti verbo* στέφειν, *coronare, pro* κοσμεῖν, *ornare.* Στέμμα *antem est involuta lana ramo oleæ.* Aristophanis scholiastes in illud *Pluti*, v. 383 : Ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος, καθεδούμενον ἱκετηρίαν ἔχοντα, ait : Ἱκετηρία ἐστὶ κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ περιπεπλεγμένος· οἱ γὰρ ἱκετεύοντες ἐλαίας κατεῖχον κλάδους. *Hiceteria est ramus oleæ lanam habens circumvolutam : nam supplicantes oleæ ramum gestubant.* Quo respexit illud Virgilii de Ænea, VIII, v. 115 :

Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.


Quem ramum explicat post nonnullos versus, v. 126 sqq.

Tum regem Æneas dictis affatur amicis :
Optime Grajugenum, cui me fortuna precari
Et vitta comptos voluit prætendere ramos ;

Lanea nempe tæniola. Servius in eum locum : « Ut in pacis petitione ramus olivæ cum vittis offeratur, partim fabulæ, partim naturæ fecit ratio. Nam cum de nomine Athenarum Neptunus et Minerva contenderent, et jussis-

set Jupiter illius nomine diceretur civitas qui munus melius obtulisset, equum Neptunus, olivam Minerva protulit, et statim vicit. Unde cum ramus ejus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc est illud proverbium : Herbam do, id est cedo victoriam, quod Varro ἐν αἰτίοις ponit, quum in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non conatur, et fatetur esse meliorem. » Est etiam oliva per etymologiam ab ἐλαία, id est olea, dicta, quæ a misericordia dicitur, id est ἔλεος. Vittas autem laneas habet ramus olivæ, ideo ut inertiam et imbecillitatem ostendat offerentis; scimus enim oves egere alieno semper auxilio. Nos etiam Christiani per olivam interpretamur misericordiam. Chrysostomus in illud Evangelii, *Oleum non acceperunt in vasis suis* : « Lampades autem, inquit, hic ipsius virginitatis nominat donum et munditiam sanctitatis; oleum vero benignitatem, eleemosynam, patrocinium indigentium. »

Inter res arte manuque factas, Anchora, spem



certam firmamque resurgendi nobis videtur insinuare, quod Ethnicis mens fluctuaret nulla firmata anchóra, dum quid post hanc vitam futurum ignorarent; nec satis certum haberent, non dicam an corpora resurgerent, de quo nihil cogitabant, sed animusne hominis esset immortalis, an omnia nobiscum extinguerentur. Cujus rei fidem facit Cicero, tum alibi, tum in Catone majore; ubi eum sic facit loquentem : « Quòd si in hoc

erro, qui animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem quo delector, dum vivo extorqueri volo. Sin mortuus, uti quidam minuti philosophi censent, nihil sentiam, non vereor ac hunc errorem meum mortui irrideant. » Et Lactantius (*Divinarum institutionum* lib. VII, c. VIII) ipse de Cicerone sic: « Tullius, expositis horum (philosophorum) omnium de immortalitate ac morte sententiis, nescire se quid sit verum pronuntiavit. Harum, inquit, sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit. » Et rursus alibi : « ...Quoniam utraque, inquit, earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec quid certi sit divinari potest. » Ubi vero illuxit fides, et certitudo resurrectionis velut anchora quædam menti jactatæ accessit, eam stare loco solideque consistere perfecit, ac firmam concipere spem. Quam spem, anchoram nominavit Paulus ad Hebræos. « Qui confugimus, inquit, ad tenendam propositam spem quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Jesus secundum ordinem Melchisedech, pontifex factus in æternum. » Non dubito quin hac anchora firmatus fuerit, cujus cippo carmen hoc insculptum fuit addito signo anchoræ (1) :

(1) In hortis carpensibus. *Macar.* Emendavi ex codice ms. de Winghii, p. 141 qui Macarii latinam interpretationem prosa oratione adjecit. In C. I. n. 6241, editur a Jo. Franzio, qui male eam non nostri dogmatis esse judicat. Anchoras et ceteras notas exhibui ex codice Winghii, qui diligentius et plenius descripsit.

ΗΙΘΕΟΝ ΚΑΛΟΚΑΙΡΟΝ ΕΧΕΙ
ΤΟΔΕ CΗΜΑ ΛΙΠΟΥCΗC
ΨΥΧΗC ΑΘΑΝΑΤΟΥ
CΩΜΑ ΝΕΟΙΟ ΚΟΡΟΥ
CΠΕΥΔΕΝ ΟΔΟΝ ΘΕΙΗΝ
ΓΑΡ ΑΠΟΠΡΟΛΙΠΟΥCΑ
ΜΕΡΜΝΑC *sic*
ΠΕΥΚΕΔΑΝΟΙΟ ΒΙΟΥ
ΩC ΑΝΙΗ ΚΑΘΑΡΗ



Vertebam autem sic :

Hunc tumulum Calocærus habet, juvenilibus annis
Immortali anima membra sinente sua.
Nam properavit iter divinum ; et ut iret in altum
Pura, his se curis tristibus expediit.

Lapis est quadratus habens supra locum excavatum ad reponendos cineres, quod mirum alicui videbitur; quod nollent Christiani sua corpora tradi post discessum ignibus, sed loculis condi, ut supra notavi. Tamen aliquando ab hoc statuto videntur discessisse, quod confirmat marmoreus alius cippus, quem vidi Romæ apud Ægidium sculptorem Belgam, cui hoc signum insculptum ☧, nec videtur alii usui inservisse quam ad reponendos cineres. Totus enim concavus, cui similes gentilium cippos seu urnas dicas, vidi.

Navis expansis velis incitata, quam οὐροδραμοῦσαν (1)

(1) Rosweydus in notis ad S. Paulinum, p. 910, ed. Murat. secutus mss. Palat. et Florent. putat οὐροδρομοῦσα vel οὐρανοδρομοῦσα



vocat Clemens Alexandrinus (quod melius censeo quam οὐρανοδραμοῦσαν, *ad cælum vel in cælo decurrentem*, quod substituit Sylburgius in sua editione) certum in Deum et imperturbatum cursum ob pacem cum eo factam, et securum in resurrectionem ingressum, velut in portum, non male dicetur præmonstrare.

Bilanx facile refertur ad illud : *redditur unicuique juxta opera sua*, piis nempe, Christi fidem et vestigia



sectantibus, æqua lance præmia rependet immortalitatis, et vitæ beatæ (2).

Modius ad *mensuram plenam et confertam et coagitatam* quam dabit Deus in sinum credentium in se, spectabit; quæ est ipsa resurgendi copia et merces.

Porta cælorum angustam portam, quam legem Dei exsequentibus aperit beata resurrectio, nobis subjiciet.

Ubi mensa videbitur cum septem veluti tædis aut luminibus, Dei conspectum, cui septem illuminati spiritus adstant, dabit cogitandum.

Crater cum igne flammante, seu ignis in cratere (ut hoc loco istud elementum explicem) quid sibi velit,

---

de navi Argo vecta per cælum posse dici; sed οὔρια δραμεῖν tam solemne Græcis est, quam Latinis *bene navigare*. Itaque non recte Macarius de emendatione a Sylburgio proposita judicat.

(1) Coronam justitiæ repræsentari in hoc schemate nemo ambiget, qui sculptam eam videt prope bilancem in christiano lapide, symbolis duobus bene conjunctis.

sciet, qui didicerit ex Ambrosio immortalitatem esse florem resurrectionis (1). De igne vero, Lactantius (*Divinar. institutionum* lib. II) : « Nos enim quoniam cæleste et immortale animal sumus, igne utimur; qui nobis in argumentum immortalitatis datus est : quoniam ignis e cælo est, cujus natura, quia nobilis est et sursum nititur, vitæ continet rationem. Cetera vero animalia, quoniam tota sunt mortalia, tantummodo aqua utuntur, quod est elementum corporale atque terrenum. Cujus natura quia nobilis est ac deorsum vergens, figuram mortis ostendit. Ideo pecudes neque in cælum suspiciunt, neque religiones sentiunt, quoniam ab his usus ignis alienus est. »

Figura quadrati cum perpendiculari ad angulos rectos cadente (2), nobis, arbitror, ob oculos ponit quod Augustinus, *de Civitate Dei*, XVIII, c. XXIII, refert, dum mysteria versuum Sibyllinorum de judicio nobis aperit. Ait enim : « Quod supra retuli, in iis contineri, cum versus sint numero XXVII, numerum quadratum ternarium solidum. Vides enim in figura quadratam, vides perpendicularem, quæ quadratum in altum consurgere atque ita solidum fieri significat; quæ cum medium costæ quadrati secet, et ternario quadratum confici, nobis declarabit. Adeoque figura hæc idem nobis repræsentabit, quod piscis, seu ἰχθὺς, qui ex literis primis cujusque dictionis versuum conficitur. »

Literæ illæ græcæ, Christi nominis primæ duæ, ita

(1) Craterem considerat hic Macarius quasi vasum floribus aptum. Itaque symbola crateris et ignis separatim explicat.

(2) Figuram exhibui, pag. 108.

aptatæ ut posterior in priorem inseratur, et Christi nomen exprimunt et crucem ipsam etiam figurant; ut et merito debeat complexus ille literarum utrumque vocari, et Christi nomen et crux. Unde factum credo, ut Prudentius idem signum, modo hac Christi nominis, modo illa Crucis appellet voce, his *contra Symmachum* (I, v. 482 seqq.) versibus præcipue :



Testis christicolæ ducis adventantis ad urbem
Milvius (1), exceptum tiberina in stagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat; ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squallens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexusque pedes victoris, ad inclita flendo
Procubuit vexilla jacens. Tunc ille senatus
Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
Nomen adoravit quod collucebat in armis.


Ergo Christus (id est ejus nominis duæ primores literæ) signabat labarum, inscriptus erat clipeis, ornabat galeas. Sic enim interpretor illud. *Ardebat summis crux addita cristis* · id est nomen ejus in crucis quamdam speciem efformatum : ut in nummo Constantini quem Angelus Breventanus edidit, aperte videmus galeam insignitam illis literis, quanquam non in loco cristarum

(1) Milvius et Mulvius codd., ut in Statio (Silv. II, 2, 176), scriptum legimus.

sint. Potuit enim Constantinus vario modo et loco in galea literas illas gestasse. Ut crucem autem sic accipiam in cristis positam pro Christi nomine, faciunt versus illi qui sequuntur:

> Tunc ille senatus
> Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
> Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

Sed quid illud, *quali radiarint stemmate pila?* nomen Christi per duas illas literas denotatum, corona aut circulo inclusum *stemma* vocat. Docent nos marmora quid



stemma sit, pectus viri intra concavum orbem efformatum. Quanquam non credo fuisse necesse ut rotundus esset locus in quo sculpebatur ille quisquis esset, aut quotus alio modo exprimebatur, sed sæpius intra orbem ponebatur, et fuerint etiam vocata stemmata etiam si seorsum pectus ipsum per se staret. Tamen a priori forma nomen stemmatis meruerint a verbo στέφειν, quod est circumambire. Optime ergo ad similitudinem illorum pectorum orbe inclusorum, nomen Christi fuerit vocatum stemma, ob coronam ambientem frequenter additam. Quo stemmate et signo etiam pila militaria radia-

bant, ita ut vere in armis omnibus colluceret nomen Christi. Quod alia voce nominat *apicem*, quod tanquam apex in summo poneretur armorum (Lib. II, *contra Symmachum*, v. 708 et sqq., de Victoria Pollentina):

> Dux agminis, imperiique
> Christipotens nobis juvenis fuit, et comes ejus
> Atque parens Stilico. Deus unus Christus utrique
> Hujus adoratis altaribus, et cruce fronti
> Inscripta, cecinere tubæ; prima hasta dracones (1)
> Præcurrit quæ Christi apicem sublimior effert.

Hasta illa in summo literas illas Christi gerebat. Nec solum nomen Christi ita conformatum, erat apex armorum, sed et sacrorum ædificiorum. Est sarcophagus in area clericorum regularium ad S. Andream repositus, erutus meo tempore e S. Petro, qui multis sculpturis insignis, inter alia habet ædificia quædam et ædiculam sacram rotundam, cujus in summitate conspicitur nomen Christi duabus illis literis comprehensum, quo pacto crux expressa tenet hodie templi fastigia. Qua in ædicula, ut obiter id dicam, conspiciuntur et vela foribus appensa (Bottari, tab. XXXIV); qui mos fuit antiquis appendere vela, et ostiarii munus erat ea procurare. Signum ergo Christi pro cruce habebatur, et pro apice armis et structuris adhibebatur. Visitur etiamnum hodie structura modica fontis Symmachi in atrio S. Petri, in qua nomen illud et signum frequens est per tecti latera.

(1) *Dracones* pro *draconis*, recte in textu emendat Arevalus in Prud. II, p. 225, non æque in notis laudandus, quod utramque lectionem probabilem affirmat.

In tabellis sepulcralibus, vel in summo vel in dextro latere, frequentissime cernitur, et quemadmodum hodie in scripturis, crucis simplicis initio solet poni figura, ita videntur antiqui habuisse in usu, illud Christi nomen duabus literis expressum præponere. Est tabella marmorea in S. Laurentio in Lucina, in qua mentio quorumdam corporum sanctorum inventorum tempore Paschalis II quæ in summo tenet hoc signum. Varia autem ejus forma conspicitur in tabellis sepulcralibus, et aliis locis, nummisque. Primum illa perfecta  ut stipes continens literam P sit rectus et diversus a linea transversa ipsius X. Est alia cum deest stipes literæ P et intra transversam lineam ipsius X effomatur ipsum P, sic . Tertio alia cum transversa illa linea erigitur, sic , vel sic  : nam et ita conspecta est. Hæc fere tria discrimina reperias, et sic , ut nempe secunda transversa linea ipsius X dimidiata incumbat in stipitem ipsius P; et sic , ut dimidiatus stipes ipsius P incumbat in angulum exteriorem ipsius X. Illud autem videor animadvertere, paulatim a perfecta forma ventum ad illas minus perfectas, et brevitatis causa dempsisse stipitem ipsius P, et mox erexisse lineam transversam ad quam P applicabatur, in formam expressæ crucis. Unde hoc colligendum, inscriptiones et nummos et alia minus perfectas formas hujus signi habentia, esse posterioris temporis et imperatoris (1). In baptisterio S. Joan-

(1) De origine monogrammatis XP*isti* diu disputatum. Ut vanas conjectationes omittam, moneo Letronnium non recte judicasse monogramma omnium primum esse crucem cujus in vertice summo addita sit curvatura litteræ P, sic  (*De la*

nis Lateranensis, in capite versuum qui ambiunt marmora superposita columnis, est præpositum signum ita ☧. Opus autem baptisterii constructum dispositis co-

---

croix ansée égyptienne, Paris, 1844, p. 10). Contra, vetustiora monumenta quæ restant, præbent ☧ integro P inserto litteræ X. Utque negligas schema ☧ exhibitum in epigraphe a Boldetto invulgata, cursiva certe forma (p. 87, n. 30) habebis anno 338, consulibus Urso et Polemio exemplum primum (Boldetti, p. 71, 10); inde apud eundem, p. 351, hoc aliud ☧ anni 344, Leontio et Sallustio cos., in quo lanceola tenet locum litteræ P, non alio sensu quam X I, nempe I X (Ἰησοῦς Χριστός). Est vero monogramma hoc æque vetustum, juvatque conferre ☧ΘΥΣ (de Rossi, *in Spicil. Solesm.* III, p. 577, n. 33); quod certe valet I☧ΘΥΣ, ut est in gemma comitis de l'Escalopier quæ hic exhibetur in ipsa pagina prima. Nuper cl. Ad. de Longperier acute interpretatus est monogramma ☧ inventum in græcæ epigraphes medio vocabulo (*Bull. Archéol. de l'Athén. fr.*, p. 33, 1855). Confirmat apud Boldettium, p. 443 : LAIS L. COPONI SARCINATRIX, ubi *Coponi* habet monogramma in P littera vocabuli media. Hæc certissime tertio sæculo christiano recentior non est : illa nempe ætate qua *Varronius Filumenus fecit monumentum Varroniæ filiæ suæ*, in quo ancoram insculpsit et IHI ☧ ΔΟΥΛΗ (Perret, V, xxxv, 106. Cf. IH ☧ in adversa parte gemmæ superius ex *Spicil. Solesmensi* allatæ). Idem monogramma ex litteris IX, deprehendo in circulis sive coronis quibus inscribitur ✳, nempe † et IX; ejus enim vicem fungitur nonnunquam aliud monogramma ☧ significationis certissimæ. Epigraphæ vero nonnullæ quibus additur in circulo ✳ vel ☧, sæculo tertio vel quarti initio sculptæ sunt.

Redeo ad monogramma ☧. Aliam inscriptionem dat Boldettius, p. 65, 4, quæ hoc ipsum ☧ exhibet a. 345, Amantio et Albino

luminis ut nunc cernitur, est a Xysto III, ut Onuphrius probat e Bibliothecario lib. *de VII Ecclesiis*, in ecclesia, S. Joannis Lateranensis. Grætserus (lib. II, *de Cruce*, cap. xxx) profert nummum Valentis eadem forma. Quare credo errare Onuphrium, *Comment. in lib. II. Fastorum*, ubi ait signum Constantino ostensum fuisse hac specie ⳨ vel hac ☧. Nec aliter probat quam ex nummis Constantini, quos ait illis signis non raro insignitos visos, cum hac inscriptione, *in hoc signo victor eris*. Sed pace tanti viri dictum sit, nunquam nisi adulterini (quales multi finguntur ab impostoribus) ipsi sunt visi; aut si visi cum ejusmodi ⳨, non erant Constantini, sed alterius. Quanquam ab iis qui nummos adulterant, potuerit affictum fuisse nomen imperatoris illius, cujus tempore nunquam aliter quam perfecta specie nomen illud, si verus est nummus, cernebatur. Nummus autem quem Onuphrius (libro *de VII Ecclesiis*) laudat ubi agit de ecclesia S. Crucis in Hierusalem, habens minus perfectam formam signi hujus, cum Constantii sit, poterit esse

---

cos. Interim tempore hoc omni, nullibi invenies ⳨ quod Letronnius posuit primum et antiquissimum; sed Valentiniano III et Valente III cos., a. 353, reperies eodem lapide sculptum ΑΤΩ et ☧ (Boldetti, p. 353); et anno 389, ☧ eodemque in lapide, duplex ⳨ ⳨ (Boldetti, p. 76, 3). Omnia hic movere nolui, ut vides, sed summatim attingere tantum : juvatque rem notare observatione dignam, ☧ monogramma duabus litteris constans fuisse insculptum tabellæ anno 377 monumento publico fixæ. Est vero hujus generis primum, ut affirmat eques de Rossi (ap. Mommsen. *Inscript. Confœd. Helvet. latinæ*, Turici, 1854).

genuinus. Quanquam in libro excuso Coloniæ anno MDLXXXIIII, pro Constantii, habetur Constantini.

Quid autem viderit Constantinus in cælo, an illud signum nominis Christi tantum, an præter illud etiam crucem, tractatur a Jacobo Grætsero, in annotationibus ad orationes Patrum de Cruce. Qui mihi non videtur omnem difficultatem expedivisse. In qua re credendum potius videtur Eusebio (1) quam ceteris, qui refert se ex ore Constantini recens a re visa, postridie nempe, didicisse quale id signum fuerit, dum coram artificibus qui illud exprimerent narrat quid illis faciendum. Sed negat Grætserus fuisse visa illa capita Imperatoris et filiorum, quæ voluit poni Constantinus in labaro. At cur eadem ratione non possim dicere, velum labari non apparuisse, ita ut remaneret stipes nudus cum transverso ligno, unde labarum pendere solet? Qui nudatus ita, refert optime crucis speciem, vel ipso Eusebio teste, qui ita composita illa duo ligna crucis formam appellat. Supra hunc stipitem erat corona illa cum literis illis geminis Christum significantibus. Favet huic sententiæ id quod in marmoreo sarcophago cernitur in domo Marchionis Arignani in Burgo, in cujus medio crux est nuda cum supraposita illa corona Christi. Signum literarum Christi nominis habuit, ut ex finibus literarum, illarum coronæ adhærentium colligitur. Sed hoc est discrimen, quod crucis stipes rectus extendit se ultra transversum lignum : quod non videtur fuisse in Constantiniano stipite, labari experte; et ad coronam crucis sarcophagi, una

(1) Vita Constantini, I, c. 30, 31.

aut altera columba est addita. Quod si Constantino visum signum fuerit ita ut dixi, fuerit sane gemina crux : et vera in stipite, et altera minus clara in literis Christi. Quanquam et vidi marmoream tabellam sepulcralem erutam ex illis cœmeteriis subterraneis antiquam, in qua erant literæ illæ Christi, cum vocibus additis, *in hoc vince* (1); quæ faceret ad eam opinionem qua quis crederet solam coronam cum literis Christi visam. Quod si stipes cum corona conspectus est, cum nudatum suspicari quid impedit? cum præsertim velum illud si adfuisset in signo Constantini, obscurasset valde formam crucis, quæ in stipite spoliato satis manifesta est et conspicua. Stipitem autem solum cum transverso ligno visum, non addita corona, aut saltem literis Christi superpositis, ita ut mera crux, ut hodie pingimus, sola fuerit conspecta, sunt quæ invitent non credere. Adeo ut si alterutrum esset dicendum, vel solas literas Christi visas cum corona tamen, vel solam crucem rectam, malim prius dicere. Nam illud ipsum est quod tantopere Constantinus celebravit, et omnibus armis, galeis, pilis, signis militaribus imposuit, teste Prudentio, et nummis a se cusis, in quibus crux recta nunquam (modo non sint adulterati), literæ vero illæ complicatæ videntur. Quid autem causæ fuerit ut conspectui omnium præponeret quod non viderat, quod viderat omitteret? Quæ nota fuisset et ingrati animi et præposteri judicii, in tam sapiente et religioso Imperatore. Atque hæc dicta sunt a me conditione ea, si quid detrahi possit ex iis quæ ab artificibus Constantinus jussit fieri. Quod si quis velit


(1) Bosius, l. III, c. XXIII, qui edit IN HOC VINCES.

defendere, omnia confecta ab artificibus in labaro, fuisse visa in signo cælitus ostenso, non illi deerunt quibus se tueatur; et dicta narrationis Eusebianæ eo tendunt. Et tunc verba illa *in hoc vince*, poterit idem interpretari. *Tu, Constantine, retine labarum qua forma prius consuesti. Non prohibeo vultum tuum filiorumque in eo conspici, solum superimpone signum nominis mei, cujus virtute vinces.* Non omittam id dicere, quod cum cruces coronatæ leguntur in auctoribus, præcipuæ sunt eæ intelligendæ, quæ circum Christi literas ambientem habent coronam; ut de cruce illa in extis visa immolanti Juliano, et quæ eodem tempore, alibi statim se prodiderunt; et, credo, de crucibus Paulini in ingressu basilicæ pictis. Nam quas in absidibus depingit, existimo coronam superpositam stipiti extremo habuisse, et forte literas Christi continentem. Quæ literæ ita suos fines habent exstantes circumcirca, ut commodissimi sint ad sustentandam coronam circumpositam, eamque prehendant. At in cruce recta, cujus stipes longior transverso ligno, fines omnes non possunt a corona attingi. Quæ est illa, quæ Crucem Christi, in qua crucifixus est, repræsentat. Nam quadrata, in qua transversum lignum æque patet in longum, non est apta et concinna cruci fixioni. Esset tamen apta ut corona circumponeretur; verum non ita multos fines habet, ut complexus literarum Christi, in quo fines seni cum sint, implent fulciuntque magis coronam.

Α et Ω dedit nobis Scriptura. Ita enim Christus se ipsum nominat (*Apocalypsis*, cap. primo, v. 8): *Ego sum* Α *et* Ω, *principium et finis, dicit Deus, qui est et*

qui erat et qui venturus est omnipotens. Et cap. XXI : *Et dixit mihi... Ego sum* Α *et* ω, *initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Et cap. XXII, v. 13 : *Ego sum* Α *et* ω, *primus et novissimus, principium et finis.* Quæ literæ græcæ adduntur persæpe aliis signis et symbolis, præsertim autem duabus illis literis Christi nomen figurantibus. Et huic nomini, ΙΧΘΥC, sed inverso ordine : ut ω præcedat, et sequatur Α (1). Quod et alibi quam in isto nomine vidi. Cujus rationem inversionis insinuare videtur Tertullianus (*de Monogamia*) : « Duas græce literas, inquit, summam et ultimam sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras ; uti quemadmodum Α ad ω usque volvitur, et rursum ω ad Α replicatur, ita ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium ; ut omnis dispositio in eum desinens per quem cœpta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde et desinat quemadmodum et cœpit. » Pulcre etiam beatus Hieronymus de eo (*contra Jovinianum*, libro priore) : « Docet Aposto-

(1) Hic Macarius, et ubique, litteram Ω descripsit ; quam ego cunctis in locis mutavi in ω : nam illa forma Ω, in genuinis christianæ antiquitatis monumentis nunquam conspecta est. Quam ob rem gemmam istam, ubi Ω sculptum est, falsam etiam hac de causa esse arbitror. Eadem incogitantia peccasse antiquitatum christianarum scriptores non paucos te monitum velim. Edidit hunc ectypum Mamachius, *Orig. et antiqq. Christian.*, III, § 3, et tab. II, fig. 8 ; sed unde habuerit, nescio. Eques de Rossi recte exclusit e catalogo gemmarum, *Spic. Solesm.* p. 577.



lus, ait, scribens ad Ephesios, Deum proposuisse in adimpletione temporum recapitulare omnia et ad principium retrahere in Christum Jesum quæ sunt super cælos et super terram. Unde et ipse Salvator in Apocalypsi Joannis, Ego sum, inquit, A et ω, initium et finis. Ab exordio conditionis humanæ nec carnibus vescebamur, nec dabamus repudium, nec præputia nobis eripiebantur in signum; hoc cursu usque ad diluvium pervenimus. Post diluvium autem, cum datione legis quam implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt ad vescendum, et repudia concessa duritiæ, et cultellus circumcisionis appositus : quasi Dei manus plus in nobis creaverit quam necesse est. Postquam autem Christus venit in fine temporum, et ω revolvit ad A, et extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes; dicente Apostolo : Bonum est vinum non bibere, et carnes non comedere: Vinum enim cum carnibus post diluvium dedicatum est.

Personæ diductis brachiis significant, ut arbitror, eas pias feminas quæ aliquid cum contulerint vel ad dilatanda spatia cœmeteriorum vel ad picturis exornanda, jam in sancta pace quiescunt, ideoque beatæ habentur. Status ille brachiorum expansorum, orantis quidem vocatur;



sed inter orationum formas, est etiam doxologia seu glorificatio et perpetua laudatio Dei, quod vere munus beatorum. Quare expansio brachiorum hic beatitudinis statum notat; nam et ipsa Beata Virgo, cum in musivis absidum pingitur, tali statu ut beatissima ponitur. Quod si quis dicat et intercessionis pro nobis esse illum modum, non repugno; malim tamen prius. Huc facit quod supra retuli, non alia forma tres pueros illos esse in camino ignis depictos; ut exprimatur quod de illis ait Scriptura : *Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum et benedicentes Domino.* Sed in medio sarcophagorum cum femina ponitur ita manibus expansis, an erit Beata Maria Virgo? Non est necesse. Forte enim fuerit ea denotata femina quæ in eo requiescit (1).

---

(1) Egregie Macarius, et ad veritatem aptissime. Romæ nuper in museo Lateranensi notavi medio sarcophago mulierem sculptam cui vultus ab artifice imperfectus erat relictus. Hoc vero juvat mirifice ad interpretandam figuram muliebrem in iis sarcophagis ubi nec beata Virgo neque aliqua ex sanctis feminis, ut Susanna, figuratur. Erit igitur ea matrona vel virgo quæ in eo sarcophago deposita est. Hic mos ex cœmeteriorum arcosoliis transiit in areas sepulcrales. Picturam habes in Perret, *Catacomb.*, t. III, pl. VII, cum inscriptione qua docemur Gratam mulierem a conjuge suo ibi inhumatam. Sub inscriptione historias duas depinxit maritus, unam ex novo Testamento, alteram e veteri. Hinc Dominus Lazarum resuscitat, illinc tres pueri babylonici inter flammas illæsi; mediam autem posuit Gratam suam manibus expansis orantem, cujus vertici nomen adscripsit GRATA. Idem Perret sarcophagum invulgat, t. V, pl. XL, Juliæ Julianeti a Melibœo marito positum. Adest Pastor bonus, deinde Jonas in mare ejectus a nautis, deinde Juliane ipsa visitur in arca Noe recta, et orans; tandem eadem mulier manibus item

Visuntur autem, sed raro, imo quidem rarissime et mares ita brachia pandentes. Feminæ autem quæ hoc positu gestuque brachiorum sunt, in figuris cœmeterialibus, omnes dalmaticis indutæ cernuntur (1); quod usus esset ejus vestis Romæ, quo tempore pingebantur.

---

expansis, cui supra caput imminet : IVLIANE, quod nomen ex inscriptione a marito Meliboeo prope addita, mulieris esse apparet quæ ibi sepulta est. Tertium monumentum dat Cæsaraugusta in Hispania, ubi media mulier FLORIA, hinc PETRVS, inde PAVLVS. Hæc satis sint, ut cautos faciant, ne semper Beatam Virginem, vel Ecclesiam in arcis sepulcralibus sculptas putemus. Virorum protomas, seu στηθάρια, in sarcophagis hactenus, nunc clypeatas, nunc conchæ insculptas, inveni; orantes vero vel integra figura delineatos nondum offendi, nisi in cœmeteriorum picturis.

(1) Non dalmatica solum, passim licet, induuntur feminæ aut viri orantes, sed penula vel alicula nonnunquam. Penula indutam mulierem dat sarcophagus a Bottario, tav. CXXXVI, editus, qua repræsentari mulierem ibi depositam arbitror; et delineatam hic habes. Aliculam tibi sistet pagina XI, quam ita definit Velius Longus (*de Orthogr.*, p. 2229); ut pateat eam humeris injectam, alas continuisse. Itaque brumalibus diebus eo tegmine Romani usi sunt, veluti lacerna milites, vel pe-



nula cives; hac vero illa brevior fuit. Tum curavi p. 172 viri penulati, cui nomen fuit Ἡλιόδωρος, puto, imaginem textui inducere quam sumpsi ex eodem Bottario, tab. CXX; cf. tab. CLXII.

Nec solum in feminis sed et in viris, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, A. A. A. sic jubent (1) : « Sine exceptione temporis matutini duntaxat intra mœnia



constitutus nullus senatorum habitum sibi vindicet militarem ; sed chlamydis terrore deposito, quieta colobiorum ac penularum induat vestimenta. Cum autem vel conventus ordinis candidati cœperit agitari, vel negotium ejus sub publica judicis sessione cognosci, togatum eumdem interesse mandamus. » Ecce quam infrequens toga sub Theodosio, sed passim usus colobiorum. Nicetas autem Choniates (l. III, c. XXXVII) : *Dalmatica quæ colobia*, inquit, sane genus illud vestis, quo religiosi supra tunicam utuntur et vulgo Italorum vocat *honestatem*, galli *patientiam*. Colobium est, quo omnium plenissime Carthusiani utuntur, et ad instar dalmaticæ est, cum hoc solo discrimine, quod dalmatica manicas habeat, colobium minime, atque hinc credo sumpsisse nomen, quod decurtatum manicis sit proprie; quod tamen in imperatorum sanctione non dubito pro

(1) Cod. Theod. XIV, 10, c. 1, pr. de habitu quo uti oporteat.



dalmaticis sumi. De illis zonis diversi coloribus quæ per dalmaticarum latera manicasque discurrunt, dixi supra. Extra cœmeteria, velut in absidibus et sarcophagis, est alius in feminis habitus ille qui superponitur tunicæ, ipsum corpus totum et caput contegens, ut cernere est in musivo S. Pudentianæ, ubi duæ sunt feminæ ita circumposita veste, et in sarcophago qui est in area domus Marchionis Arignani in Burgo, femina quæ advolvitur ad pedes Christi recti stantis et tenentis crucem. Et in alio sarcophago reposito in hortulo retro caput Basilicæ S. Petri, simili modo advolvitur mulier ad pedes Christi (1). Beata etiam Virgo non alio genere vestis in antiquioribus musivis depingitur : quod indumentum libens *pallam* vocem, quæ ad talos usque demissa erat. Tibull., lib. III, *eleg.* IV, v. 35 :

Ima videbatur talis illudere palla.

---

(1) Bottari, tab. XXX.



Et *obscuram* vocat Martialis (LXI, ep. 105, v. 7):

Fascia te tunicæque tegunt, obscuraque palla.

Ideo reor obscura, quod obscurum redderet eum, eamve, qui ea tegeretur, nec facile conspicuum. Horatius ejus et meminit (*Satyrar.* lib. I, *satyr.* II, v. 99):

Ad talos stola demissa, et circumdata palla

Alludit ad nomen *palla*, belgicum vocabulum, mutata tenui P. in aspiratum ph. *phaille* (1): quæ vestis, genus pallæ censenda. Ubi autem Beata Virgo Maria pallam habet circumvolutam, nullam in capite coronam gestat; sed in posterioris sæculi musivis, cum palla careat, sitque potius stolata, ut ita loquar, habet impositam capiti coronam, aut ei imponenda est. Invenio au-

(1) Hispanis faja; unde rectius deduci poterit quam a veterum *palla;* nam ista belgarum feminarum fascia (*faille*, écharpe), velum potius est dicenda quam vestis. *Cahier.*

tem in absidibus stolatas feminas sanctas, et præsertim virgines, quæ omnes coronam gestant fronte; ut beata Lucina in pictura ecclesiæ quam condidit, et beata Agnes in musivo ecclesiæ quæ ab ea nomen habet (1). Eo allusit Prudentius (*Peristeph.* in Romanum martyrem, v. 351 sqq.), ubi Fidei personam describit sub habitu virginis :

> Illic sacerdos stat sacrato in limine,
> Foresque primas virgo custodit Fides
> Innexa crines vinculis regalibus ;

id est diademate regio. Nam hymno in Cæsaraugustanos martyres (IV, *Peristeph.*, v. 21 sqq.), cum præmisisset nomen diadematis hisce versibus :

> Tu tribus gemmis diadema pulcrum
> Offeres Christo genetrix piorum
> Tarraco,

statim aliis vocibus idem diadema declarat:

> Intexit cui Fructuosus
> Sutile vinclum.

id est, in quo diademate Fructuosus tanquam gemma præcipua intexta est. Subdit enim :

> Nomen hoc gemmæ strophio illigatum.

Strophium autem idem intelligo, quod *sutile vinclum*. Sic in hymno *jejunantium* (VII, v. 158, 159) de rege Ninivitarum qui, ad jejunium se accingens prædicatione Jonæ, deponebat ornatum capitis, ait :

> Gemmas virentes et lapillos sutiles,
> Insigne frontis exuebat vinculum.

(1) Ciampini, *Vet. monim.*, tab. XXIX.

Nota *frontis* : coronæ enim veterum non erant plane rotundæ, sed parte ea qua frontem cingebant recta quasi constabant linea (1). Uti et annuli veterum parte ea qua interiorem digiti flexum tangebant, recti erant, reliqua parte curvi. Quæ formæ coronarum melius cernuntur in manibus senum qui coronas suas offerunt Christo, depicti in musivis. Stolatas autem volo intelligi eas omnes quæ neque palla, neque dalmatica, quæ sunt vestes superiores, amictæ sunt : sed ita tantum sunt ut cingulo constringant indumentum. Qui fuerit sponsarum habitus, præsertim addita corona : coronabantur enim sponsæ olim. Cui rei inter alia fidem faciunt marmora. Virgines autem sponsæ Christi sunt. Sed de his satis.

Orpheum nobis Spiritus divinus per Isaiam depinxit, qui (capite XI, v. 6 sqq.) de tempore Messiæ inquit : « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos : Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli corum, et leo quasi bos comedet paleam. Et delectabitur infans ab ubere, super foramine aspidis; et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non noçebunt

(1) Hic ego Macarium falsum esse arbitror : nec enim coronæ quas senes offerunt Christo usquam ita figurantur, ut asserit. Virgines beatæ nonnunquam in picturis tenent in capite, aut n manu, pallio subjecto, aliquid, cujus figura potuit in eam opinionem auctorem nostrum inducere. Verum cave putes, id semper coronas repræsentare. Aliquando enim arcula potius sive pyxis est, condendis mysteriis sacræ cœnæ; quod alibi ostendam.

et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. » Quod fere repetit (cap. LXV, v. 25) : *Lupus et agnus pascentur simul, et leo et bos comedent paleas, et serpenti pulvis panis ejus; non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.* An non dicas Orpheum quemdam hic statui, quo præsente servent animalia concordiam. Sed et hoc idem Sibylla Erythræa versibus expressit:

Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνεσ' ἐν οὔρεσιν ἁμιλλοῦνται
Χόρτον γὰρ λύγκες τ' ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται
Ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ καὶ πᾶσι βροτοῖσι
Σαρκοβόρος τε λέων φάγετ' ἄχυρον παρὰ φάτναις,
Σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτροσι κοιμήσονται.

Quos versus refert Lactantius (*Institutionum* lib. VII, cap. XXIV); verum non nihil differunt ab iis quos in libro Sibyllinorum oraculorum reperimus (l. III, v. 789 sqq.), hoc modo, ut addam etiam tres qui præcedunt eos, et ad rem faciunt (1) :

Εὐφράνθητι κόρη καὶ ἀγάλλεο. σοὶ γὰρ ἔδωκεν
Εὐφροσύνην αἰῶνος, ὃς οὐρανὸν ἔκτισε καὶ γῆν
Ἐν σοὶ δ' οἰκήσει, σοὶ δ' ἔσσεται ἀθάνατον φῶς·
Ἐν δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν οὔρεσιν ἄμμιγ' ἔδονται
Χόρτον, παρδάλεές τ' ἐρίφοις ἅμα βοσκήσονται
Ἄρκτοι σὺν μόσχοις νομάδες αὐλισθήσονται
Σαρκοβόρος τε λέων ἄχυρον φάγετ' ἐν φάτνῃ, ὡς βοῦς
Καὶ παῖδες μάλα νήπιοι ἐν δεσμοῖσιν.......
Ἕξουσιν, πηρὸν γὰρ ἐπὶ χθονὶ θῆρα πτοήσει
Καὶ βρεφέεσσι δράκοντες ἅμα σφίσι κοιμήσονται
Καὶ οὐκ ἀδικήσουσι· χεὶρ γὰρ Κυρίου ἔσσετ' ἐπ' αυτούς.

(1) Ex varia lectione, v. 4 : ἄμμις; v. 7 : ἐπὶ φάτνης; v. 8 : ὡς βοῦς; ibid. in fine versus suppl. ἄξουσι; v. 11 : κοὐκ—θεοῦ pro κυρίου.

Qui cum depravati sint nonnihil, erunt meliores si versu quarto pro ἄμμις legas ἄμμιγ' (1), et octavo suppleas ἔχιδναν; et ultimum sic emendes : Καὶ οὐκ ἀδικήσουσι· χεὶρ Κυρίου ἔσσετ' ἐπ' αὐτούς. Quanquam non omittam judicium Suidæ de versibus Sibyllæ imperfectis, qui in voce *Sibylla Chaldæa* (quæ a quibusdam sibylla hebræa nominatur et persica) ita ait : « Quod autem ejus versus imperfecti et vitiosi reperiuntur, non prophetidis culpa est sed notariorum, qui orationis impetum assequi non potuerunt, aut etiam indocti fuerunt et imperiti grammatiees. Una enim cum affatu etiam eorum quæ ab ea dicta essent, memoria detinebat, eaque de causa et versus imperfecti reperiuntur, et sententia claudicans. Aut etiam certo Dei consilio faetum est hoc, ne a multis indignis oracula ejus eognoscerentur; aut longum tempus, ut et aliorum multorum, hujus rei causa fuit; atque etiam obscuritas eorum quæ a prophetide dieta sunt, et crebra librorum descriptio, nihil miri est si et sententiæ confusionem et versuum perturbationem attulerint. » Quidquid sit, ad commodum sensum eliciendum, versus illi mihi fuerunt et supplendi et emendandi; quare ita restituti latine sonant :

Lætare filia et exsulta. Tibi enim dedit
Lætitiam sæculi qui cælum creavit et terram,
In te vero habitabit, tibi erit immortalis lux.
In te lupi et agni in montibus permixtim edent
Fœnum, et pardales una cum hædis pascentur.
Ursi cum vitulis gregarii stabulabuntur,
Carnivorusque leo paleas comedet in præsepi ut bos;

---

(1) Confirmat editio Friedliebii post alios.

Et pueri, admodum infantes in fasciis, viperam (1)
Tenebunt, minus perfectam enim feram terrebit (puer),
Et cum infantulis dracones una cubabunt,
Nec lædent : Dei manus erit super illos.

Quid magis accedit ad vaticinium Isaiæ, ut hæc ab illo Sibylla videatur mutuata! Verum Lactantius non ad eum sensum versus retulit ad quem referendi. Fuit enim inter eos qui millenarium sæculum post resurrectionem ponunt, in quo justi dominarentur in hac terra. « Mundus, inquit, ipse gaudebit, et omnis rerum natura lætabitur, erepta et liberata dominio mali, et impietatis et sceleris et erroris. Non bestiæ per hoc tempus sanguine alentur, non aves præda : sed quieta et placida erunt omnia : leones et vituli ad præsepe simul stabunt : lupus oves non rapiet, canis non venabitur. Accipitres et aquilæ non nocebunt. Infans cum serpentibus ludet et cetera. » Quo expleto millenario solutum diabolum vult iterum persecuturum justos, aliudque deinde judicium futurum. Sed hæc vaticinia non eo pertinent. Quis autem sensus sit Esaiæ verborum, a Beato Hieronymo discamus. « Hæc quoque Judæi, inquit, et nostri Judaizantes juxta literam futura contendunt, ut in claritate Christi quem putant in fine mundi esse venturum, omnes bestiæ redigantur in mansuetudinem, et pristina feritate deposita, lupus et agnus pascantur simul ; et cetera cum ceteris, quæ nunc videmus sibi esse contraria. Quos interrogare debemus, si omnia præsentis loci sic accipiuntur, ut scripta

(1) Ἔχιδναν igitur hic supplet in fine versus Macarius. Insequentem versum non ita belle vertit πηρόν, *minus perfectam*, nam debuit, *veluti viribus destitutam.*

sunt, et nihil refertur ad intelligentiam spiritalem, juxta illud Apostoli, qui ait : *Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo.* Ergo et radix, et virga, et flos non referantur ad sensum; terraque percussa verbo Dei, et interfectus impius spiritu labiorum ejus, sic intelligantur ut scripta sunt : et docere cogantur, quomodo rebus incorporeis justitia, et veritate, renes Domini circumdentur sed et hoc eos interrogamus, qui dignum sit Domini majestate ut lupus et agnus pascantur simul, et pardus cum hædo accubet, et leo paleas comedat, et puer parvulus mittat manum suam in foramine aspidum? Nisi forte juxta fabulas poetarum, aureum nobis sæculum restituent, in quo lupi, et agni pascentur simul, et mulso vino plena current flumina, et de foliis arborum stillabunt mella dulcissima, lacteisque fontibus omnia complebuntur. Quod si responderint pro beatitudine temporum hæc futura, ut absque cujusque noxa homines bonis omnibus perfruantur, audiant a nobis nihil esse bonum, nisi virtutem, et nihil malum nisi vitium; dicente psalmista : *Quis est homo qui vult vitam, et diligit dies videre bonos : compesce linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo et fac bonum.* Divitiæ autem et sanitas corporis, et rerum omnium abundantia, et his contraria, paupertas, infirmitas, et inopia, etiam apud philosophos sæculi nec inter bona reputantur, nec inter mala; sed appellantur indifferentia. Unde et stoici, qui nostro dogmati in plerisque concordant, nihil appellant bonum, nisi solam honestatem at-

que virtutem, nihil malum nisi turpitudinem. Hæc breviter diximus, ut judaizantes nostros gravissimo somno stertere convincamus. Ceterum juxta vivificantem spiritum facilis intelligentia est. Lupus enim Paulus, qui primo persequebatur, et lacerabat Ecclesiam, de quo dictum est, *Benjamin lupus rapax*, habitavit cum agno : vel Anania a quo baptizatus est, vel Petro apostolo, cui dictum est : *Pasce agnos meos;* et pardus qui prius non mutabat varietates suas, lotus in fonte Domini accubuit cum hœdo, non qui a sinistris est, sed qui immolatur in pascha Domini. Et hoc notandum, quod non agnus et hœdus habitent et accubent cum lupo et pardo, sed lupus et pardus agni et hœdi imitentur innocentiam. Leo quoque prius ferocissimus, et ovis et vitulus pariter morabuntur. Quod quotidie cernimus in Ecclesia : divites et pauperes, potentes et humiles, reges atque privatos, pariter commorari; et a pueris parvulis, quos apostolos intelligimus et apostolicos viros (imperitos sermone, sed non scientia) regi in Ecclesia. Qui cum inter se disciplina Domini inter se fuerint federati, ita ut eorum quoque familiæ conjungantur, tunc complebitur : simul requiescent catuli eorum. Leo quoque non carnes comedet, sed paleas, quod scilicet vescatur cibo simplici. Et hic observandum, quod non bos carnes, sed leo paleas comedat. Paleas puto in Scripturis sanctis verba simplicia intelligi : triticum autem et interiorem medullam, sensum qui in litera invenitur; et frequenter evenit ut homines sæculi, mystica nescientes, simplici Scripturarum lectione pascantur. Infans quoque, qui malitia parvulus est, mittit manum in foramine aspidis; et de ob-

sessis hominum corporibus fugat dæmones. Qui autem ablactatus est et nequaquam lacte nutritur infantiæ, sed jam solido vescitur cibo, iste in reguli cavernam mittit manum : hoc est, in ipsius Satanæ habitaculum, et inde eum extrahit. Unde et apostolis potestas data est, ut calcarent super serpentes et scorpiones, et super omnem fortitudinem inimici : nocere autem et occidere nequaquam poterunt venenata prius animalia eos qui habitaverint in monte sancto Dei, quod interpretatur Ecclesia, de quo in Evangelio dicitur : *Non potest civitas abscondi in monte posita*. Ac ne hoc putemus dici de monte Sion, juxta Hebræorum errorem, sequenti versiculo evangelicæ prædicationis, sacramenta manifestantur : *Quia repleta est terra scientia Domini*. Hoc est illud quod supra dicebatur obscurius : *habitavit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit;* et juxta consuetudinem suam, prophetalia in fine verba panduntur : *sicut aquæ*, inquit, *mare operientes*. Quomodo aquæ maris operiunt profunda maris, hoc est terram quæ operta est fluctibus, sic scientia Domini omnis terra complebitur. Quam diversorum prius morum conjunctionem, etiam beatus apostolus Petrus in vase linteo quod de cælo demissum est, se vidisse testatur, habente quatuor principia, quæ quatuor mundi plagas intelligimus; ut repletam terram Dei scientia cognoscamus. n quo vase erant quadrupedia, et serpentes, et bestiæ, et volatilia cæli; ut quod arca in diluvio, hoc Ecclesia præstet mundo. » Sed hæc illustrantur ab alterius dicti prophetici expositione. « Tunc lupus et agnus, inquit idem Hieronymus, pascentur simul, persecutor Paulus

et Ananias discipulus. Illo lupus de quo scriptum est : *Benjamin lupus rapax comedet prædam et ad vesperam dabit escas*, sive, ut in hebraico dicitur, *dividet spolia;* cujus doctrina cibus fuit credentium, et qui in toto orbe de superatis adversariis triumphavit. Agni autem credendi sunt, qui in vestibus candidis sequuntur Agnum quocumque vadit, quos Dominus Petro tradidit ad pascendum, dicens : *Pasce agnos meos*. Leo quoque ut bos comedet paleas, quando viri disertissimi et quondam apud sæculum potentes, Scripturarum se tradunt rusticitati, ut nequaquam sæculari pascantur eloquentia, quæ instar mellis stillat de labiis meretricis, sed utilitatem et paleas sequuntur historiæ, donec multo labore et industria mereantur ad frumentum sensuum pervenire. De quibus paleis et frumento Hieremias loquitur : *Quid paleis ad triticum dicit Dominus?* Et considerandum quod non bos vertatur in rabiem, sed leo mutatur in mansuetudinem. Serpens etiam qui observabat hominis calcaneum, et cujus ab homine observabatur caput, nequaquam aliorum nutrietur interitu, sed terram sive pulverem quasi panem comedet. Aut certe sic intelligendum quod diabolus, qui prius hominum mortibus pascebatur, eos tantum comedat qui pulvis ac terra sunt. Per quæ omnia demonstrantur malorum in bonum commutatio (qui innoxii erunt antiqua feritate deposita) non foris sed in monte sancto Domini, hoc est in Ecclesia et in confessione ejus montis a quo vulneratus est princeps Tyri, et qui *excisus de monte sine manibus crevit in montem magnum et implevit orbem*. Interrogemus in hoc loco Judæos, et omnes qui sub nomine christiano

adhuc paleas comedunt scripturarum, quæ ventilabro Domini a tritico separatæ vento tradentur flammis, quæ beatitudo sit æstimanda ut in mille annorum regno in Sion monte civitate Christi præsentis Hierusalem et in templo augustissimo, lupi et agni, leones et boves, serpentes et homines, simul comedant pariterque commorentur; et hi tantum innoxii sint qui in monte sancto Domini habitaverint, ex quo intelligitur, omnes qui extra montem fuerint occidendos. Nudabitur ergo lupis, leonibus, ursis, pardis, atque serpentibus et ceteris bestiis universus orbis et immensi saltus, et Ægyptiæ vastitas solitudinis quæ venenatorum animantium fertilis est; et pro summa felicitate civitas sancta non solum hominum sed et bestiarum atque serpentium erit habitaculum, ut juxta superiorem prophetiam, habitet lupus cum agno, et pardus cum hœdo, vitulus et leo, et oves cum ursu simul morentur; et puer parvulus regat eos, et infans ab ubere mittat manum in foramen aspidis et in caverna sua interficiat regulum; causaque sit tantæ felicitatis, quia repleta est omnis terra scientia Domini. » Quorum chiliastarum et vota describit paucis ad illud capitis LV Esaiæ : *Audite audientes me et comedite bonum*. « Ergo, inquit, non juxta chiliastas, opum abundantiam, et delicatos cibos et crassitudinem corporis, phasidesque et fartos turtures, mulsum merum, uxorum pulcritudinem, examina liberorum, Dominus animæ pollicetur; sed illas divitias ad quas nos mystice provocat, dicens : *Delectare*, sive deliciis fruere, *in Domino*. » Mirum autem est quod fatetur idem in caput XIX Hieremiæ, multos ecclesiasticos viros et mar-

tyres etiam in eam ivisse sententiam. « Quanquam, ait, sibi Judæi auream atque gemmatam Hierusalem fingunt restituendam, rursumque victimas et sacrificia, et conjugia sanctorum, et regnum in terris Domini Salvatoris. Quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum, et martyres ista dixerunt; et unusquisque in suo sensu abundet, et Domini cuncta judicio reserventur. » Quod clarius exponit in Ezechielis cap. XVI et in XXXVI : « Neque enim, inquit, juxta Judaicas fabulas, quasi illi δευτερώσεις, gemmatam et auream de cælo exspectamus Hierusalem, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec Sabati otio dormiemus; quod et multi nostrorum, et præcipue Tertulliani liber, qui inscribitur *de Spe fidelium*, et Lactantii institutionum volumen septimum, et Victorini Piætoviensis episcopi crebræ expositiones, et nuper Severus noster in dialogo, cui Gallo nomen imposuit, et ut Græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinaris. » Sed et longe uberius de eo in capitis Esaiæ LXV procemio : « Nec ignoro, dicit, quanta inter homines sententiarum diversitas est : non dico de mysterio Trinitatis, cujus recta confessio est ignoratio scientiæ, sed de aliis ecclesiasticis dogmatibus; de resurrectione scilicet, et de animarum et humanæ carnis statu, de repromissionibus futurorum, quomodo debeant accipi, et qua ratione intelligenda sit Apocalypsis Joannis : quam si juxta literam accipimus, judaizandum est; si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire Latinorum, Tertul-

liani, Victorini, Lactantii, Græcorum, ut ceteros prætermittam, Irenæi tantum lugdunensis episcopi faciam mentionem, adversus quem vir eloquentissimus Dionysius alexandrinæ ecclesiæ pontifex elegantem scripsit librum : irridens mille annorum fabulas, et auream atque gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, et cunctarum gentium servitutem, rursumque bella, exercitus ac triumphos, et superatorum neces, mortemque centenarii peccatoris. Cui duobus voluminibus respondet Apollinaris, quem non solum suæ sectæ homines, sed et nostrorum in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo, ut præsaga mente jam cernam quantorum in me rabies concitanda sit. » Ne moveat nos porro tantorum ac talium virorum auctoritas quales commemorat Hieronymus, ut credamus figuram Orphei ea mente compositam, quo significet illius secundum ipsos sæculi statum et claritatem quo regnaret Christus in terra, summa concordia et hominum, et animalium etiam brutorum; quo etiam illud accederet, quod Sibylla cecinit affine paci animalium (l. V, v. 281, sqq., Friedlieb).

> Ἑβραίων δὲ χθὼν ἁγία ἐστὶ, πάντα δ' οἴσει (1)
> Νᾶμα μελισταγέος ἀπὸ πέτρης, καὶ διὰ γλώσσης
> Καὶ γάλα δ' ἀμβρόσιον ῥεύσει πάντεσσι δικαίοις.
> Εἰς ἕνα γὰρ γενετῆρα θεὸν μόνον ἔξοχον ὄντα
> Ἤλπισαν, εὐσεβίην μεγάλην καὶ πίστιν ἔχοντες.

(1) Ex emendatione Alexandri recepta a Friedliebio, v. 1 : μόνων ἁγία χθὼν pro χθὼν ἁγία ἐστί; ibid. πάντα τάδ' pro πάντα δ'; v. 2 : ἠδ' ἀπὸ πηγῆς pro καὶ διὰ γλώσσης.

Hebræorum vero solum terra sancta est, omnia vero hæc favet
Scaturigo a petra, et a fonte melliflua
Etiam lac divinum fluet omnibus justis.
In unum enim genitorem Deum solum præstantem
Speraverunt, pietatem magnam et fidem habentes.

Cui non absimile est illud Amos prophetæ cap. IX; v. 13 : *Et stillabunt montes dulcedinem;* quod et Joel habet, III, 18, et clarius dicit : *Et erit in illa die, stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte.* Quæ omnia dicta sunt de Christo mellea suavitate doctrinæ suæ omnes perfundente, et lacte illo parabolarum pascente. Referetur ergo eodem et figura Orphei ad primum Christi in carne adventum, quando se visibilem præbuit hominibus ut cithara vocis suæ feras hominum mentes, maleque paratas mitigavit, et in unam fidei concordiam disseminata doctrina sua convocavit; nec putabimus aliud exprimi quam quod vaticiniis Esaiæ continetur, quæ ut in Christum olim nos suo aspectu dignantem conveniunt, ita et famulis ejus video applicari. Paulinus de Niceta (1) :

Te patrem dicit plaga tota Borræ,
Ad tuos fatus Scytha mitigatur;
Et sui discors fera, te magistro,
Pectora ponit.

Et Getæ currunt, et uterque Dacus
Qui colit terræ medio, vel ille
Divitis multo bove pelleatus
Accola ripæ.

De lupis hoc est vitulos creare,
Et bovi junctum palea leonem
Pascere; et tutis cava viperarum
Pandere parvis.

(1) *Poema* XVII, p. 421, v. 245 seqq., ed. Murat.

Namque mansueto pecori coire
Bestias pulsa feritate suades:
Qui feras mentes hominum polito
Imbuis ore.

Orbis in muta regione per te
Barbari discunt resonare Christum
Corde romano, placidamque casti
Vivere pacem.

Sic tuo mitis lupus est ovili,
Pascitur concors vitulus leoni;
Parvus extracto trucibus cavernis
Aspide ludit.

Fingatur ergo Orpheus eodem munere significandi, quo reliqua symbola circum eum apposita, arietis, capri emissi, avisque, vaccæ rufæ, monstri tauropiscis, quæ dicta sunt Christi naturas et visibilem præcipue statum exprimere.

Colligo autem et summos pontifices curam hanc suscepisse exornandorum picturis cœmeteriorum, ut de Cælestino testatur Hadrianus Papa primus in responsione quam in scripto de imaginibus dedit ad interrogationem : *Ubi in sex synodalibus conciliis jubeatur imagines facere aut factas adorare.* Et quia verba ejus mire illustrant locum hunc de picturis, et mentionem faciunt rerum multarum, quas supra tetigi, integra apponam. « Illi, inquit, nobis dicere debebant in quali de sex synodalibus conciliis reprehensæ sunt imagines. Enim vero in primo sancto concilio sæpius ostensum est quia sanctus Silvester Papa et Constantinus christianissimus imperator venerati sunt sacras imagines, et cum nomine christianitatis fideliter atque mirabiliter eas ostenderunt; et a tunc usque hactenus,

sanctorum pontificum videlicet Silvestri, Marci et Julii, miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo quam in ceteris histo riis, cum sacris imaginibus ornatis. Item in sancto secundo concilio sanctus Damasus elegantissimus Papa, propriam suam fecit ecclesiam, cujus sanctus Gregorius meminit in *Dialogis*, quæ ex nomine conditoris Damasi vocatur : eam similiter, a tunc usque hactenus, historiis sacris et imaginibus pictam habemus. Iterum de sancto tertio concilio, sanctus Cælestinus Papa, proprium suum cœmeterium picturis decoravit. Magis autem successor ejus beatus Sixtus Papa, fecit basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ cognomento Majorem quæ *ad præsepe* dicitur. Simili modo et ipse tam in metallis aureis, quam in diversis historiis, sacris decoravit imaginibus. Sed et ejus rogatu Valentinianus Augustus fecit imaginem auream cum duodecim portis, et Salvatore gemmis pretiosis ornatam, quam voto gratiæ super confessionem beati Petri Apostoli posuit : et a tunc usque hactenus apud nos ab omnibus fidelibus venerantur. Itemque de sancto quarto concilio, egregius atque mirificus prædicator sanctus Leo Papa, et ipse fecit ecclesias quas opere musivo et diversis historiis seu imaginibus pingens decoravit. Magis enim in basilica beati Pauli Apostoli, arcum ibidem majorem faciens et in musivo depingens Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, seu viginti quatuor seniores, nomine suo versibus decoravit, et a tunc usque hactenus fideliter a nobis venerantur. Et de sancto quinto concilio sanctissimus Vigilius Papa, in lateranensi patriarchio,

basilicam faciens, pulcherrime eam decoravit pictnris, tam in historiis quam in sacris imaginibus. Multo amplius vero ejus sanctissimi successores Dominus Pelagius, atque Dominus Joannes miræ magnitudinis ecclesiam apostolorum a solo ædificantes, historias diversas tam in musivo quam in variis coloribus cum sacris pingentes imaginibus : et a tunc usque hactenus a nobis venerantur. Sed et sanctus Gregorius Papa, in monasterio suo pulcrum fecit oratorium, et ipsum diversis historiis pingi fecit, atque sacras ibidem erexit imagines. Ubi et cum beato Eleutherio pro ægritudine stomachi in oratione pariter exauditi sunt. Et ille vir sanctus Eleutherius quem dicunt et mortuum suscitasse, ante ipsas imagines sacras se prosternens divinam exorare clementiam cum sancto Gregorio non dubitavit. Sed fidem ferentes perfectam, pariter exauditi sunt, et usque hactenus apud nos venerantur. Sed et de ecclesia arianorum, cujus ipse sanctus Gregorius in dialogis suis meminit, placuit eidem sancto Gregorio ut in fide catholica introductis illuc beati Sebastiani et sanctæ Agathæ martyrum reliquiis dedicari debuisset, quod et factum est ; et post miraculum quod in eadem ecclesia factum est, diversis historiis ipse beatus Gregorius pingi fecit eam, tam in musivo quam in coloribus, et venerandas imagines ibidem erexit, quæ a tunc usque hactenus venerantur. Si enim voluerimus enarrare per ordinem, nostri prædecessores pontifices quantas ecclesias fecerunt usque nunc, mirifice in eis sacras imagines erigentes, atque diversas historias pingentes, nec non et venerantes, apostolice audemus dicere, deficiet nos tem-

pus enumerandi, atque eorum ædificia cum sacris imaginibus et historiis explanandi. » Hactenus Hadrianus papa.

En mentio musivi operis quod et adhuc hodie remanet, in ecclesia S. Mariæ majoris, circumquaque per latera et alibi, ubi et in arcu majore nomen Xyxti appositum hoc modo SIXTVS PLEBI DEI (1), remanet etiam magna ex parte, ut alia omittam, quod Leo primus papa, in arcu majori Basilicæ sancti Pauli fecit (2), ubi et versus adhuc ejus, testantes cujus sit opus. Atque adeo hinc habemus, fideles ingressos ecclesiam solitos venerari Christum in arcu majori, circumstantibus viginti quatuor senioribus, in throno sedentem, quod supra monebam. Quod autem maxime ad rem facit, est quod ait Cælestinum Papam exornasse cœmeterium suum variis picturis. Quod cœmeterium quale sit, me latet (3). Erit qui suspicetur illud esse unde picturæ illæ quæ symbola commemorata a me, arietis monstrique tauropiscis, habent, desumptæ sunt; eo quod tam evidenter Christi Dei filium, unum non duos esse, nec unum visibilem et alium invisibilem et æternum, ut dicebat Nestorius. Sed unum eumque Deum et hominem esse, unamque ejus personam patefaciunt, ut concilium ephesinum declaravit tempore Cælestini celebratum. Et ut non sit illud cœmeterium a Cælestino exornatum, in quo sunt hæ picturæ, forte ab alio fuerit ad similitudinem cælestiniani cœmeterii depictum, aut

(1) Ciampini, *Vet. monim.*, II, tab. XLIX.

(2) Nicolai, *Basil. ostiense*, tav. VII.

(3) S. Praxedis cœmeterium esse, ubi S. Cælestinus sepultus est, monet Bosius, *Roma sotterr.*, ed. 1750, p. 564.

eodem tempore vel paulo post ad confessionem catholicæ fidei quam fideles romani tum cum pontifice suo tam vivi profitebantur, quam mortui professi erant. Itaque non erit mirum si non omnia figurata in cœmeteriis directe ad resurrectionem referantur, quod debuisse fieri aliquis cogitaverit.

Quanquam subit mentem cogitatio, si quis acriore velit indagatione rerum intima velatarum penetrare, posse et ea omnia ad resurrectionis statum intelligendum destinari. Quod si enim pastor humeris gestans ovem, qui toties in sarcophagis reperitur, nec aliud videtur significare quam Christum in carne venisse, ut morte et sanguine suo deperditam ovem, nempe genus humanum errans a via salutis, reduceret, et lætis gratiæ pascuis inferret; tamen Irenæus optime resurrectioni accommodavit, libro adversus hæreses quinto, his verbis : « Quod enim in veteri plasmate prætermisit artifex, Verbum hoc manifeste adimplevit, ut manifestarentur opera Dei in ipso, nec jam alteram requireremus manum, per quam plasmatus est homo, neque alterum patrem, scientes quoniam quæ plasmavit nos initio, et plasmat in ventre manus Dei, hæc in novissimis temporibus perditos exquisivit nos, suam lucrifaciens et super humeros assumens ovem et cum gratulatione in cohortem restituet vitæ. » Vitam autem Irenæus intelligit perpetuam, juxta illud, *notas mihi fecisti vias vitæ*, quod de Christo redeunte ad vitam dictum. Totus autem locus quem citavi, de resurrectione est, ut superiora legenti clarum evadit. Prudentius etiam ita perditam ovem explicat (*Cathemerinon*, hymno octavo, v. 33 seqq.) :

Ille ovem morbo residem, gregique
Perditam sano, male dissipantem
Vellus affixis vepribus, per hirtæ
Devia silvæ

Impiger pastor revocat; lupisque
Gestat exclusis, humeros gravatus.
Inde purgatam revehens, aprico
Reddit ovili.

Reddit et pratis, viridique campo
Vibrat, impexis ubi nulla lappis
Spina, nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens;

Sed frequens palmis nemus, et reflexa
Vernat herbarum coma: tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.

Quod de paradiso intelligi supra docui. Quod si pastor ad resurrectionem spectat, quidni et Orpheus esse possit Christus resurgens, in quem illud Scripturæ optime cadit : *Exsurge, psalterium et cithara!* Ut enim dicimus eum qui sceleribus dat operam, non solum scelestum sed et scelus, ita et cithara utentem Christum, citharam dicemus vocatum, qui jussu Patris suavissima modulatione canens de morte victoriam, nos invitat ut ejus simus participes, atque ita participes, ut, exuti mortalitatis incommodis atque dissidiis, nihil amplius sentiamus diversum, sed concordibus animis pacem atque amicitiam servemus æternam. Symbola vero arietis, ovis, vaccæ rufæ, tauropiscis, gradum ferent huc eodem, si cogitaverimus eum qui, cum carnem gestaret mortalem, ubi semel morte et sanguine devicta morte, sibi vestem immortalitatis aptavit; eamdem nobis omnibus

eadem carne vestitis donasse atque circumdedisse, et quidquid erat caducum et terrenæ fragilitati obnoxium, in stabilem et perpetuo duraturum commutasse statum. Atque ita ex fonte intelligi dabitur rivus, ex passione secuta resurgendi gloria, cum ejus auctor dixerit : *Nonne oportuit pati Christum, atque ita intrare in gloriam suam?* Passio autem cogitanda venit ex iis naturis quæ immolationi et victimæ solent addici, ut sunt quæ diximus, ovis, aries, bos et alia. Quo fiet ut jucunda metalepsi symbola hæc per gradus quosdam e carne patibili, mentem deducant in nostram resurgendi claritatem quam Christus sua promeruit. In pisce pensitabimus quod vox ea concludat in se Salvatoris vim, qui cruce et sanguine prævio vitam nobis immortalem condixit. In Α et Ω quid aliud quam principium et finis, quo pertingere cupimus et speramus? Etiam illud ipsum quod Christus in medio sarcophagi stans sæpius ponitur astantibus vel omnibus apostolis, vel duobus tantum, quorum alteri, Petro nempe gestanti crucem dat volumen Legis (1), habebit suam cum reliquis figuris cogna-

(1) Vide quæ disputavi superius, pag. 13 sqq. : unde colligas non Petrum sed Paulum eum esse, qui crucem fert, cui Dominus legem dat gentibus nuntiandam. Enim vero crucem Paulo apostolo significando aptissimam declarant ejus epistolæ in quibus profitetur Christum crucifixum se gentibus prædicare (*I Cor.*, 23), sibi mundum hunc esse crucifixum, et se mundo (*Gal.* VI, 14), sibi oportere gloriari in cruce Domini Jesu Christi (*Gal.* VI, 14), sibique crucem Domini esse Dei virtutem (*I Cor.* XVII, 18). Legem igitur acceptam a Christo gentibus prædicandam, esse τὸν λόγον τοῦ σταυροῦ apparet, atque idcirco eum vas electionis appellari, quod Christum ejusque nomen ferat et omni mundo

tionem. Nec enim male quis dixerit, indicare voluisse qui ibi depositus est, se ad Christi normam traditam apostolis vivendo, spem concepisse beatæ resurrectionis. Quem sensum adjuvat id quod çircum pedes Christi ponuntur sæpe oviculæ, quasi placidæ et parentes ejus nutui. Sed multo magis ea mens esse intelligetur, dum Christus sedens ponitur, astantibus etiam coryphæis apostolis, cujus pedum scabellum est persona quædam horrida, quam Mortem supra interpretatus sum ab eo triumphatam et pedibus substratam. Sic et hoc judicio commemorata a me superius symbola bovis, arietis, vaccæ, ceterorumque ad resurgendi conditionem accommodari posse; quod intermistæ sint inter singula hæc, historiæ quas supra docuimus evidenter eodem referri. E quibus omnibus liquere poterit, quam in priscis illis christianis alte radices egerit spes resurrectionis, quamque vivam ejus recordationem animo colerent, ut nihil fere aliud sensibus eorum videretur. Illam continuo spirabant, illam voce, literis ubique testabantur, mortemque exstinctam non nisi clamabant. Hinc illæ voces ubique : ***depositus in pace, non obiit, haud mortuus*** : et loca atque arcæ in quibus condebantur, ***deposita*** et ***dormitoria*** vocabant. Nec illis nisi ægre, credo, fuerit admissa vox ***sarcophagus***, quod sonat ***carnem vorans***; non enim placebat dici carnem absumi et quasi perire, sed servari. In hanc sententiam pulcre Basilius Seleuciæ episcopus, oratione in illud : ***Pater, si possibile est, tran-***

prædicet : Διὰ τὸ βαστάσαι Χριστοῦ τὸ σεβάσμιον ὄνομα, καὶ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης κηρῦξαι.

seat calix iste, ubi cur Christus in agonia esset ante crucem, inquirit. « Sed dicet quis, inquit, quid igitur? Discipuli ad pericula pro Christo læti armantur, ad flagella hilares, Christus vero cum agonia mortem exspectat, et metus prævenit passionem. Qua de causa? Quia Christus cum vivente adhuc morte depugnat : nondum soluta ejus tyrannide congreditur; adhuc suum ex Adam derivatum adversus homines dominatum infernus jactabat. Christus ubi mortem mortificavit, velut mortuam reliquis deinceps ad luctam proposuit. Ideirco ipse se instruens velut adversus vivam, cum veritate mœrorem testatur. Apostoli vero, de mortua et velut jugulata, atque animam agente egregie, confisi adversus mortem vadunt; uti Paulus prædicat : *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et sepultus est* (studiose scribit mortem); *et surrexit tertia die, et visus est Jacobo, deinde quinque millibus fratribus simul : e quibus plures manent usque adhuc, quidam vero dormierunt.* Non jam, inquit, mortui sunt; post crucem enim fixam, somnus mors est. Ante crucem, terribilis; at post mortem, contemptu digna. Et rursus : *Jesus passus et mortuus est, surrexit; ita et Deus eos qui dormierunt adducet per Christum ;* Christi obitum mortem nominans, bellum enim erat adversus vitam; obitum vero post Christum, somnum nuncupat, non mortem. Hinc videmus viros pro pietate certamina subeuntes, juvenculos mortem deridentes, puellas ludentes, quando Christus vitæ post mortem bravium proponit; ob quæ canunt omnes victoriæ carmen : *Ubi mors, tuus stimulus, ubi tua inferne, victoria?* » Hactenus ille, qui constantiam

et avidum patiendi animum in martyribus assignat vivæ resurrectionis spei, qui corpora sua prodigebant, securi de vita. Quod si veterum ethnicorum nonnulli, auditis solum quorumdam philosophorum sententiis de immortalitate, parati fuerunt ad vitam profundendam; ut de Catone legimus, qui lecto Platonis libro de æternitate animarum, se ad mortem quærendam confirmavit, et Cleombrotus Ambraciotes se muro dedit præcipitem, cum eumdem librum perlegisset (1); quid non facerent nostri christiani recens e tenebricoso paganæ ignorantiæ carcere prodeuntes et in tantam lucem immissi, qua fax illis certa et fida non immortalitatis animæ solum, sed etiam resurrectionis corporum prælucebat, non corpora projicerent, et velut per ludum deponerent, ut ea meliora reciperent? Tanto paganis promptiores, quanto certior et amplior sibi lux affulserat. Quanto sane resurrectionis amore flagrarent, non operibus solum sed et picturis probarunt qui tot historiis, tot symbolis eam sibi figurandam locis illis et arcis quiescentium corporum duxerunt.

Quibus ergo locis sacris picturæ et sculpturæ sint, quidque spectent jam vidimus : in abside ecclesiæ ad adorationem et potestatis et imperii in nos Christi agnitionem : in lateribus ecclesiæ ad fidei roborationem, ad instructionem eorum qui aliter capita librorum sacrorum et historias præcipuas ignorarent : quæ in cœmeteriis et arcis sepulcralibus, ad resurrectionis professionem. Sed est inter ista non parva convenientia et

(1) Augustin. *de Civit.*, l. I, cap. XXII; et Lactant., *divinar. Institut.* l. III, cap. XVIII, *Macar.*

cognatio. Arcæ illæ et sarcophagi cum absidum figuratione conveniunt. Nam ut hic Christus medium fere locum tenet, ita ibi et stans et sedens, et quod amplius sub specie pastoris ut diximus. Astant etiam utrinque coryphæi apostolorum. Substernuntur pedibus Christi quatuor amnes paradisi. Agni etiam adduntur complures aliquando. Apponuntur et palmæ, quarum uni et phœnix insidet, ut fere dixeris aliquos sarcophagos esse parvas absides. Conveniunt et sarcophagi cum lateralibus cœmeteriorum picturis, quod easdem fere e vetere et novo Testamento petitas historias contineant, ad eamdem significationem pertinentes. Laterales ecclesiarum et eæ quæ sunt cœmeteriorum picturæ, easdem habent communes historias, ut, Adam et Evam, arcam Noe, Jonam, Lazarum, et si quid aliud, sed diverso significandi modo. Tabellæ claudentes sepulcra, fere symbolis insignitæ sunt, uno aut pluribus, ruditer sæpius et



properanter insculptis; et hæ cum nonnullis sarcophagis conveniunt, qui præter pastorem ovem portantem, habent eadem symbola, ut est ille vineæ collegii Salviatei (1). Sed vix alium similem videas.

Est et aliud genus quod imagines christianas recipit,





annulorum nempe gemmæ, quibus signabant; et si quod est genus his simile, ut vitra quædam exigua et alia minuta. In quibus et historicas imagines agnovimus, ut in una quam Fulvius Ursinus habebat, Lazarum e monumento prodeuntem, a Christo excitatum virga; apponitur capiti Christi rotundum illud signum quod coronam nominant, ut supra dixi; et ad pedes scrinium est ad volumina reponenda, quod scrinium in sarcophago visum a me eodem modo. Aliam gemmam, ut retuli, vidi pulcherrimam, in qua Jonæ tota historia continebatur, et a nave ejecti, et e ceto emergentis, et sub cucurbita jacentis. Symbolica non minus fuerit gemma illa quam depinxerat calamo Philippus Winghius a se visam; ejusque quod characteribus græcis inscriptis constabat, interpretationem poscebat, quam assecutus sum post ejus

(1) Delineatum dedi ex Bottario, tab. xxxv.

mortem. Ita enim habet ΩΙΧΘΥCΑ, quod est : ω *piscis* Α; de qua re satis diximus supra. Piscem vero sculpendum in gemmis, et alia, docet Clemens Alexandrinus (*Pædagogi* lib. III, c. XI) : Ἀλλὰ καὶ τὸν δακτύλιον οὐκ ἐπ' ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι· γυναικεῖον γὰρ τοῦτο. Εἰς δὲ τὸν μικρὸν δάκτυλον, καὶ τοῦτο εἰς τοὔσχατον καθιέναι. Ἔστι γὰρ οὕτως εὐεργὴς ἡ χεὶρ ἐν οἷς αὐτῆς δεόμεθα· καὶ οὐ ῥᾷστα ὁ σημαντὴρ ἀποπεσεῖται τῇ μείζονι τοῦ ἄρθρου συνδέσει φυλαττόμενος. Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς οὐριοδρομοῦσα, ἢ λύρα, μουσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. Κἂν ἁλιεύων τὶς ᾖ, ἀποστόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. Οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον, οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται. Οὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον τοῖς εἰρήνην διώκουσιν, ἢ κύπελλα τοῖς σωφρονοῦσι.

« Sed neque est a viris annulus in articulo ferendus : hoc enim est muliebre : sed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte, est demittendus. Ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis in quibus egemus, neque facile excidet sigillum, quod majore alicubi ligamento custoditur. Sint autem nobis signacula, columba vel piscis vel navis quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica qua usus est Polycrates, vel anchora nautica quam insculpebat Seleucus. Et si sit piscans aliquis, meminerit apostoli et puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solis attendere prohibitum est. Sed nec ensis vel arcus, iis qui pacem persequuntur; nec pocula, iis qui moderati sunt ac temperantes. » Hæc ille.

Consentiunt ergo gemmæ cum tabellis. Columbam

enim, piscem, anchoram, sæpe vidi in tabellis sepulcralibus, aut solitaria aut conjuncta. Cum autem ea sym-



bola fuerint a tantis tamque antiquis magistris proposita, facile cuivis clarum esse potest quanti sint ea facienda. Fuit autem Clemens Pantæni discipulus, Origenis præceptor, proximus apostolicis temporibus. Quorum signorum et picturarum, etiam ut venerationem commendem, addam argumentum non leve. Narrat (*De Rebus gestis Emanuelis*, lib. III) Osorius (1) : « In eadem civitate quam diximus appellari Malipurem (et nunc, postquam a Lusitanis frequentari cœpit, S. Thomæ civitas appellatur), erat in colle sacellum ædificatum, eo quod affirmarent incolæ in eo loco Thomam fuisse a religionis hostibus interfectum. Erat autem hoc solemniter institutum, ut in eo sacello octo diebus ante natalem Christi res divina fieret, et omnes christiani in eo convenirent. Fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo colle inventa crux in lapide incisa, in cujus fastigio columbæ imago insidebat. Basis vero erat in specie quadam herbarum, quæ latissime diffundi videbantur, collocata : et tam fastigium quam basis et brachia, in

(1) Cf. *Lettres édifiantes et curieuses*, t. XII, pag. 17 sqq., Paris, 1781.

liliorum formam desinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus undique muniebat. In arcu erant incisæ literæ quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum quod erat satis magnum, fuit super altare ejusdem sacelli multorum operis statutum. In cruce eminebant notæ sanguinis insignes. Accidit autem die quo christiani conveniebant ut in eo templo salutationem ab angelo factam sanctissimæ Virgini, octo dies antequam Christi natalis adveniret, celebrarent, cum sacerdos qui rem divinam faciebat, evangelium inchoaret, ut crux in nigrum colorem verteretur, et liquor ex illa incredibili copia dimanaret, deinde color cæruleus pro nigro subiret; in notis autem, ubi notæ sanguinis exstabant, rosei coloris splendor eluxit. Sequentibus deinde annis eodem die idem semper eveniebat. Nec enim alio die (quod magnam admirationem commovebat) id in illa cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore ejus rei quæ plane admirabilis videbatur, intermissio. Anno autem 1561 cum christiani in eumdem locum cum eadem pompa et celebritate convenirent eo die quo crux, dum sacrificium fieret, stillare solebat, et sacerdos evangelium inchoaret (idem etiam admirandum videbatur, quod nunquam priusquam evangelium legi cœpisset, ea crucis imitatio fuerit) crux repente nigris maculis, splendidis tamen, inficeretur, donec tandem aliis subeuntibus tota nigresceret; ita vero splendebat ac si fuisset oleo delibuta. Tum instar roris guttæ fluere cœperunt, quæ paulatim grandiores effectæ totam crucem humore largissimo compleverunt. Peregit sacerdos, cum multis lacrimis et crebro singultu, sacrificium. Deinde ascendit

altare, et linteis quibus in rebus sacris de more procurandis uti solebat, crucem extersit. Lintea maculis sanguineis tincta derepente sunt. Civitatis præfectus et reliqua multitudo quæ convenerat, manus in cælum tendere, Christi nomen implorare, flagitiorum veniam postulare, et ad studium religionis ardentius incitari. Crux autem postquam multo liquore fluxit, clarius splendere cœpit, et color sanguineus evidentius eluxit. Hoc signum commovit et præfectum urbis et primarium sacerdotem, ut diligenter inquirerent ecquis esset qui literas illas interpretari posset. Aiunt incolæ in Naringæ regno esse Brachmanam inter omnes Brachmanas literis et eruditione præstantem, qui varias linguas tenebat. Hominem continuo accersunt et interrogant an illas literas nosset. Respondit literas esse priscas, quibus antiqui sapientes utebantur, negligentia vero hominum factum esse ut earum cognitio interiret; quin etiam linguam qua erant descriptæ a paucis admodum teneri. Admonent illi Brachmanam ut in altare ascendat. Restitit ille et nefarium facinus esse dixit, altare in quo res divina fieret, humanis pedibus conculcari. Invitus tamen subiit et literas perlegit; quarum et vim eam esse dixit ut una nota decem, et quindecim, et viginti literarum officio fungeretur. Sententia vero literarum in summa hæc erat : Thomam divinum virum fuisse a Dei Filio, cujus erat discipulus, in eas oras Sagami regis tempore missum ut Dei summi notitia gentes illas erudiret; ubique templum exstruxisse, atque tandem cum genibus flexis ad crucem illam affixus orationem ad Deum funderet, a quodam Brachmana fuisse hasta transfixum. Crucem

vero, ejusdem viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempiternam relictam fuisse. Hæc erat sententia quæ literis continebatur. Fecit autem majorem fidem alius ejusdem sectæ vir, aliunde accersitus grandis admodum natu et sapientiæ opinione præstans, qui literas in eamdem sententiam interpretatus est. Hujus autem crucis exemplum in eodem ligno ex quo templum ædificatum perhibent, insculptum cum literis publicis multorum testimonio comprobatis, retineo; cujus fides tantis tunc argumentis explorata fuit, ut nemo possit de tam claris atque testatis divini viri monumentis ambigere. » Hæc ille. Ab Apostolis ergo, ut viris illi ætati proximis est harum imaginum formatio et commendatio. Quo fit ut eas non parva cura debeamus custodire; non avellere, non demoliri, non recentioribus inductis, si fieri potest, obscurare. Sed cum basis ejus crucis fuerit *in specie quadam herbarum*, quæ latissime diffundi videbantur, id non longe recedit a duabus ejusmodi picturis quarum una est in abside S. Clementis, ubi herba in speciem vitis diffunditur per ejus spatium, et in medio crux cum columbis, habens Christum affixum. Altera ad porticum baptisterii S. Joannis Lateranensis, ad dextram ingredientibus, herbam pariter circumquaque luxuriantem habens; ad quarum summos velut surculos, cruces quædam non ita magnæ dependent, non sine mysterio ut credi potest. Circa arcum claudentem illam velut absidulam, agnus cernitur cum columbis et aliis quibusdam. Quæ omnia extra controversiam ad mysticam rationem trahenda, et recens baptismate mundatorum puritatem et innocentiam. In

agno enim innocentia et placiditas, in columbis nitor, candor et simplicitas est. Quemadmodum et quod ex altera parte in simili absidula depictum, omnimode baptismi nobis vim commendat et conditionem exprimit. Ibi fonticuli, et baptismus fons est. Ibi pastores, et Christus pastor est, et recens abluti de caula ejus, de grege, de armento, de pecore sunt, et in pascuis ejus collocati.

Sed quod maxime me movet, est pavo ille insidens globo, quod non potest quin et hic mysticum sit. At quo sensu hic appositus? Indicat, non dubito, vim dæmonis expulsi a lavacro regeneratis. Dæmon enim serpens est. At pavoni tribuitur vis expellendi serpentes. Vincentius Bellovacensis in *Speculo naturali* de pavone, ex libro *De Naturis rerum*, sic: *Idem* (pavo) *clamore suo serpentes deterret, et omnia animalia venenata depellit; nec de facili prope habiture audent, ubi vox illius frequenter auditur* (1). At cur pavo super orbem? Quod virtus baptismi et crucis Christi, mundum



(1) Hujusmodi mystica significatio, si veteribus sit tribuenda, debuerat Macarius antiquius proferre testimonium quam quod hic e Bartholomæi Anglici verbis usurpat. Vix autem ullum reperias istius reconditæ doctrinæ vestigium apud priscos Ecclesiæ scriptores, qui avem illam ad res christianas traxerunt. *Cahier.*

ipsum et mundi principem vincat, et vicerit. Christus ipse ait: *Jam judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Et vere ejicitur foras per baptismum, et quidem exorcismis. Vidi ego basim marmoream, quæ fuerat in Ecclesia quapiam ad usum aliquem, et forte ad sustinendam vel crucem vel candelabrum cerei paschalis, quod magis credo; cujus in basis uno latere pavo erat, altero crux super orbem, ita ut mihi pavo non alia de causa videretur appositus, nisi ut idem significaret quod crux altero latere mundum premens. Et ad fontem in atrio basilicæ S. Petri, ubi pinea est illa ingens, duo ænei pavones forte non sine sensu aliquo simili sunt. Nec vero absurdum est ut idem symbolum diversarum rerum significationem habeat pro locorum diversitate. In cœmeterialibus enim picturis, ad resurrectionem referendus est pavo, aliis locis ad potentiam, ut dixi, crucis et baptismi. Ita phœnix qui egregie ad exprimendam et corroborandam resurrectionis fidem a ceteris Patribus adhibetur, a Rufino in symbolo ad virginei Beatæ Mariæ partus integritatem ostendendam et confirmandam assumitur, his verbis : « Et tamen quid mirum videtur, si virgo conceperit? cum orientis avem quem phœnicem vocant, in tantum sine conjuge nasci vel renasci constet, ut semper una sit, et semper sibi ipsi nascendo vel renascendo succedat. »

Constat ergo jam satis veteres ut erant sapientia pleni, symbola et picturas magnis cum mysteriis et rerum significationibus posuisse. Quod vel inde concludi maxime potest, quod et fabricarum suarum ordinem et constructionem nolebant mysteriis vacare. Paulinus cum basi-

licæ suæ novæ tres aditus aperuisset, in illis fidem Trinitatis voluit intelligi, ut testatus est versibus quos in gressibus apposuit; ut meminit in *epistola* ad Severum XII, p. 204 :

Alma domus, triplici patet ingredientibus arcu,
Testaturque piam janua trina fidem.

Item in quibusdam arcubus posuit hos versus (p. 205, in eadem epistola.) :

Una fides trino sub nomine quæ colit unum,
Unanimes trino suscipit introitu.

Nec minus structuram basilicæ Severi ad quem scribit, habere sua mysteria docet, iis versibus quos ad eum misit (p. 197, ejusd. epist.) :

Corpore, mente, fide, castissimus incola Christi
Condidit ista Deo tecta Severus ovans;
Totus et ipse Dei templum, viget hospite Christo,
Gaudentemque humili corde gerit Dominum.
Ecce, velut trino colit unam nomine mentem,
Sic trinum sanctum mole sacravit opus:
Ampla dedit populo geminis fastigia tectis,
Legibus ut sacris congrueret numerus.
Nam quia latorem duo Testamenta per unum
Pacta Deum in Christo copulat una fides,
Iste duas inter diversi culminis aulas
Turrito fontem tegmine constituit.
Læta novos geminis ut mater Eclesia partus
Excipiat sinibus quos aqua protulerit.
Aula duplex tectis, et Ecclesia Testamentis;
Una sed ambobus gratia fontis adest :
Lex antiqua novam firmat, veterem nova complet;
In veteri spes est, in novitate fides.
Sed vetus atque novum conjungit gratia Christi,
Propterea medio fons datus est spatio, etc.

Natali vero IX sancti Felicis clare dicit ad legem sa-

cramenti, id est mysterii, structuram esse compositam; et spectatorem excitat ut id miretur, v. 455 sqq. :

> Hoc etiam mirare, domus quod martyris alta
> Lege sacramenti per limina trina patescit;
> Fassus enim est unum trino sub nomine regem :
> Et quod contextæ junctis sibi molibus ædes
> Fune pio signant, quoniam etsi culmina plura
> Sunt domibus structis, sancta et tamen unica pacis
> Est domus; et multis unum concordia membris
> Corpus agit, cui compago stat vertice Christo.

Idem Paulinus *epistola* ad Alethium (1), dum eum laudat ob epulum præbitum egenis qui disponebantur pascendi tam in basilicæ beati Petri medio spatio, quam in porticibus (quæ sunt latera gremii, ut supra tetigi) et atrio; mentionem facit fontis Symmachi, ut vocant, etiamnum in medio atrii constituti, et columnis olim quatuor (nunc octo) exornati, ejusque mysterium considerat. «Quam lætum Deo, inquit, et sanctis angelis ejus de hac tua, ut dici solet, pera spectaculum sacer editor exhibebas! Quanto ipsum apostolum attollebas gaudio, cum totam ejus basilicam densis inopum cœtibus stipavisses : vel qua sub alto sui culminis mediis ampla laquearibus longum patet, et apostolico eminus solio coruscans ingredientium lumina stringit, et corda lætificat; vel qua sub eadem mole tectorum geminis utrinque porticibus latera diffundit, quave prætento nitens atrio fusa vestibulo est, ubi cantharum ministra manibus et oribus nostris fluenta ructantem, fastigatus solido ære tholus ornat, et inumbrat, non sine mystica

(1) Lege : Ad Pammachium XIII, XIII (p. 73, ed. Murat).

specie quatuor columnis salientem aquam ambiens. Decet enim ingressum ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur. Nam et nostri corporis templum quadrijugo stabilimento una Evangelii fides sustinet; et cum ex eo gratia qua renascimur fluat, et in eo Christus quo vivimus revelctur, profecto nobis in quatuor vitæ columnis, ille aquæ salientis in vitam æternam fons nascitur, nosque ab interno rigat et fervet in nobis; si tamen possimus dicere, vel sentire mereamur, habere nos cor ardens in via, quod Christo nobiscum inambulante flammatur. » Si igitur in structuris jubebant veteres illi spectari mysterium, quæ tamen aliquando necessitate operis ita erant constructæ; quid non juberent in picturis, quæ non alium finem habebant majori ex parte, quam ut significarent? Sane in eas quæ in vestibulo baptisterii Lateranensis sunt picturas, poterit convenienter aptari quod Paulinus de ornamentis atrii basilicæ S. Petri dicit : « Decet ingressum ejus loci talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur. » Singulæ singulis locis picturæ debent respondere, atque mentem ad id quod intelligendum vel agendum excitare; atque adeo cum adeamus basilicas et ecclesias ceteras ut Deum in iis adoremus, cumque atrium sit velut primus loci sacri ingressus, hinc est quod majores illi sapientissimi et religiosissimi etiam ipsam atrii introeundi frontem ejusmodi musivo exornarint quod ad adorationem Christi invitaret. Quod in ingressu atrii S. Petri factum videmus : ubi et Christus adorandus depictus, et versus ad

adorationem accommodus, ut arbitror, appositus fuit, cujus aliqua pars etiamnum restat. Habet vero ibi Christus duos digitos erectos, specie benedicentis eo modo fere quo in arcu majori intra ecclesiam diximus in principio depingi Christum, ut qui fungerentur hoc adorationis Christi munere, scirent se fructu benedictionis ejus non fraudari.

Atque hæc de antiquioribus picturis et sculpturis quæ locis sacris reperiuntur adhibitæ, occurrebant dicenda. De recentioribus alii fuse dixerunt.



EXCURSUS

DE HEDERA ET DE PISCE JONÆ

(Cf. notam 2, ad p. 74.)

De ea re B. Hieronymus, epistola ad B. Augustinum LXXXIX. « Hujusmodi....., inquit, in epistola tua texis fabulam: quidam frater noster episcopus cum lectitare instituisset, in ecclesia cui præest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter a te positum apud Jonam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum et tot ætatum successionibus decantatum; factusque est tantus tumultus in plebe, maxime Græcis arguentibus et inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus (ea quippe civitas erat) Judæorum testimonium flagitare. Utrum autem illi imperitia an malitia, hoc esse in hebræis codicibus responderunt quod et Græci et Latini habebant atque dicebant. Quid plura? coactus est homo velut mendacium corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe. Unde etiam nobis videtur, aliquando in nonnullis te quoque falli potuisse. Dicis me in Jonam prophetam male quiddam interpretatum; et seditione populi conclamante propter unius verbi dissonantiam, episcopum, pene sacerdotium perdidisse;

et quid sit illud quod male interpretatus sim subtrahis, auferens mihi occasionem defensionis meæ: ne quidquid dixeris, me respondente, solvatur. Nisi forte ut ante annos plurimos, cucurbita venit in medium, asserente illius temporis Cornelio et Asinio Pollione, me hederam pro cucurbita transtulisse; super qua re in commentario Jonæ prophetæ plenius respondimus, hoc tantum nunc dixisse contenti, quod in eo loco ubi LXX interpretes cucurbitam, et Aquila cum reliquis hederam transtulerunt, id est κισσόν, in hebræo volumine קִיקָיוֹן *ciceion* scriptum est, quam vulgo *ciccion* Syri vocant. Est autem genus virgulti, lata habens folia, in modum pampini; cumque plantatum fuerit, cito consurgit in arbusculam, absque ullis calamorum et hastilium adminiculis, quibus et cucurbitæ et hederæ indigent, suo trunco se sustinens. Hoc ergo verbum de verbo disserens, si CICAION transferre voluissem, nullus intelligeret; si cucurbitam, id dicerem quod in hebræo non habetur : hederam posui, ut ceteris interpretibus consentirem. Sin autem Judæi vestri, ut ipse asseris, malitia vel imperitia, hoc dixerunt esse in voluminibus Hebræorum quod in græcis et latinis codicibus continetur, manifestum est eos aut hebræas litteras ignorare, aut ad irridendos cucurbitarios voluisse mentiri. »

Apponam et ea quæ dicit, c. IV, in commentario Jonæ ad ea verba, *et præparavit Dominus hederam*, etc. « In hoc loco quidam, ait, Cornelius de antiquissimo genere Corneliorum, sive, ut ipse jactat, de stirpe Asinii Pollionis, dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro cucurbita, hederam transtulerim : timuit scilicet ne, si pro cucurbitis hederæ nascerentur, unde occulte et tenebrose biberet non haberet. Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo saucomarias vocant, solent apostolorum imagines adumbrari; e quibus et ille non suum sibi nomen assumpsit. Quod si tam facile vocabula commutantur, ut pro Corneliis seditiosis tribunis, Æmilii consules appelleutur, miror cur non mihi liceat transferre hederam pro cucurbita; sed veniamus ad seria. Pro cucurbita sive hedera in hebræo legimus קִיקָיוֹן, quæ etiam lingua syra et punica *elkeroa* dicitur; est autem genus virgulti vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini et umbram densissimam, suo trunco se sustinens; quæ in Palæstina creberrime nascitur, et

maxime in arenosis locis; mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, consita cito consurgit in arborem : et intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suspicis. Unde et nos eodem tempore quo interpretabamur prophetas, voluimus id ipsum hebrææ linguæ nomen exprimere, quia sermo latinus banc speciem arboris non habebat; sed timuimus grammaticos ne invenirent licentiam commentandi, et vel bestias Indiæ vel montes Bœotiæ, aut istiusmodi quædam portenta confingerent; secutique sumus veteres translatores qui et ipsi hederam interpretati sunt, quæ græce appellatur κισσός, aliud enim quod dicerent non habebant». Non omittam et Benedicti Ariæ Montani judicium de hac ipsa Jonæ herba, qui in commentario in Jonam, ita dicit : «Sed quodnam fruticis genus fuerit, quod alii hederam, alii cucurbitam vertunt? cujus hebraicum et chaldaicum nomen est Kikaion. Ejusdem ex antiquis naturæ rerum hebraicis et assyriis scriptoribus, hujusmodi descriptio est : Cicaion frutex est latis foliis, et umbræ parandæ commodissimus». Et alio in loco, «Ubi de oleorum natura et eorum sacris et prophanis usibus agitur, non licet, inquiunt, in ea re uti oleo Kiki;» et in explicationum libro, quid, inquit, est Kik? doctissimus Laris, ait eumdem esse Jonæ Kikaion; et in descriptionibus filii Hhanæ, legimus : Kikaion, maximus inter frutices est, quem pro tabernarum foribus seri solere videmus umbræ causa, semen proferens oleo faciendo opportunum. Eamdem vero plantam arabice *ketugha* dici, auctores sunt Samuel et Gaones, celeberrimi quondam in Hispania scriptores. Ejus vero magnam in Bætica copiam esse, ex cujus semine oleum ad lucernas et ad quosdam in medicina usus opportunum exprimatur, iisdem Gaonibus est pervulgatum. Hactenus ex Hebræis, Chaldæis et Syris, quam brevissime hæc a nobis prolata sunt; nunc vero deinceps græca et latina cum his collata rem ipsam, quæ apud nos sit, commonstrabunt. Neque enim alium esse hujusmodi fruticem opinamur, ab eo qui latinis *ricinus* dicitur. Cui nomen a notissimi, canibusque infestissimi, insecti figura seminibus impressa inditum fuisse omnes qui de ea re scripsere, auctores tradunt. Namque eam plantam antiqui, iisdem consonantibus et elementis cum hebraico et chaldaico, constanti nomine Græci Kiki dixere, ex qua oleum efficitur quod Romanis pariterque Græcis *cicinum* et *ricinum*

etiam dictum esse Dioscorides et Apuleius docent. Atque platanus quidem arbor cum sterilis sit, umbræ tamen et foliorum pulcritudinis causa amabilis et expetita omnibus olim, atque in hortis magno etiam sumptu et cultu nutrita fuit; nullam vero aliam plantam foliorum figura et magnitudine platano similiorem esse quam ricinum et antiqui auctores affirmavere, et nos qui utramque cognovimus, testari possumus. At vero ut ex ricino, quæ platani speciem habent, umbræ etiam commoditas percipi possit, magnitudo efficit. Nam oleæ altitudine in Ægypto et Hispania provenire Plinius ait, lib. XV, cap. VII. Quibus ex rebus intelligimus eam plantam cujus platano proxima species, gratissimam umbram habere; natura vero celerrimum incrementum, atque vermiculi dentibus magis perviam infirmitudinem, in Jonæ usum et consilii sui exemplum fuisse a Deo productam. Arbitramur autem illam divina virtute una nocte exortam ad justam altitudinem crevisse, et evigilanti summo mane vati repente visam, specie et commoditate sua eum vehementer exhilarasse; atque hæc res verbis ipsis quibus narratur, indicata est: *Et præparavit Dominus* KIKAION. Hujusmodi namque verbis in iis rebus usurpatur quæ prompta et parata celeritate, in ipso temporis articulo cum maxime oportuna sunt, suppeditantur : ut illud, *et præparavit Dominus piscem grandem;* et hæc ex hebræorum verbi ratione ad creandi et producendi fruticis celeritatem. Et illud etiam : ***Et lætatus est Jonas lætitia magna super*** KIKAION ; quam quidem lætitiam repentinus et gratus plantæ conspectus atque usus attulit. Neque vero simplici miraculo adscribendum est quod is frutex una nocte ad justum modum sic exerevit, ut esset umbra super caput illius. Namque ad crescendi celeritatem, foliorum varia inter crescendum mutatio et transformatio accessit; quæ ricino præter alia plantarum genera contingit, in quo nihil æque Theophrastus admiratus est : quam rem auctor ille ἀνομοιότητα καὶ μετασχηματισμὸν nominat. Cujus bac de re verba latine versa subscribere placuit. Ejus, inquit, qui ricinus nominatur, nascentia folia a principio rotunda et circinata sunt; tempore deinde angulosa fiunt, quæ dearticulentur. Est autem mire distincta ricino articulatio ultra vitis et ficus similitudinem, et magis etiam quam platano. Quæ vero planta hebræis KIK, sive KIKAION, arabicis KERVAYS, græcis KIKI, latinis RICINVS dicitur,

ea est quam officinæ catapotiam majorem nominant, botanici phasiolum romanum, Hispani *higuiera del infierno*, Galli ob foliorum articulationem *palme de Christ*, Germani vero tum ob ea quæ a Theophrasto adnotata sunt, tum ob admirabilem plantæ altitudinem, quæ in suo genere maxima est, *Wonderboome*, id est mirabilem arborem vocant ». Hæc Arias.

Congruit autem descriptio hujus herbæ quam profert Hieronymus, cum ea quam Dioscorides; qui sic de ea: *Arbor provenit parvæ ficus altitudine, folio platani, majore leniore et nigriore, ramis caudicibusque cavis in arundinis morem.* Hic folia ejus platani foliis comparat, Hieronymus foliis pampini: quæ magnam inter se similitudinem habent. Quare existimo eamdem esse plantam. Sed est aliud in picturis Jonæ quod teneat aliquem suspensum, piscis enim qui Jonam devorat alia forma pingitur quam hodie a nostris pictoribus, qui non nisi *balænam* ponunt; in quo errant, non enim alius fuit piscis quam qui antiquis pingitur. Nam licet historia Jonæ ita solum habeat: *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus*; nec nominat quis piscis fuerit, tamen Mathæi XI capite exprimitur nomen particularius: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus.* Cetum vocat: quo nomine solet intelligi piscis ille qui ab antiquis apud Jonam depingitur, auritus, longo collo, et toto corpore ad formam quasi serpentis. Nam qui in phænomenis et constellationibus cælestibus versati sunt, norunt poni cetum. At in globo cælesti antiquo marmoreo quem gestat Atlas marmoreus apud statuarium Farnesiorum Romæ (nunc Neapoli in Museo Borbonico) visitur ille cetus plane eadem figura, qua in picturis Jonæ. Quem in suis phænomenis Aratus, v. 353, sqq., non aliter appellat quam κῆτος:

Τὴν δὲ καὶ οὐκ ὀλίγον περ ἀπόπροθι πεπτηκυῖαν,
Ἀνδρομέδην, μέγα κῆτος ἐπερχόμενον κατεπείγει.
Ἡ μὲν γὰρ θρήϊκος ὑπὸ πνοιῇ Βορέαο
Κεκλιμένη φέρεται· τὸ δὲ οἱ νότος ἐχθρὸν ἀγινεῖ
Κῆτος, ὑπὸ κριῷ τε καὶ ἰχθύσιν ἀμφοτέροισιν
Βαιὸν ὑπὲρ ποταμοῦ βεβλημένον ἀστερόεντος.
Οἶον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται
Λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύστου ποταμοῖο·
Καὶ τὸ μὲν, Ὠρίωνος ὑπὸ σκαιὸν πόδα τείνει.

Δεσμοὶ δ' οὐραῖοι, τοῖς ἰχθύες ἄκροι ἔχονται,
Ἄμφω συμφορέονται, ἀπ' οὐραίων κατιόντες·
Κητείης δ' ὄπιθεν λοφιῆς ἐπιμὶξ φορέονται,
Εἰς ἓν ἐλαυνόμενοι· ἑνὶ ἀστέρι πειραίνονται
Κήτεος, ὃς κείνου πρώτῃ ἐπίκειται ἀκάνθῃ·
Οἱ δ' ὀλίγῳ μέτρῳ, ὀλίγῃ δ' ἐγκείμενοι αἴγλῃ,
Μεσσόθι πηδαλίου καὶ κήτεος εἱλίσσονται.

est ut vertit Cicero (Fragm. XXXII, v. 39, sqq., in vol. II; Arati, Phænom. ed. Buhle, Lipsiæ, 1793):

Exin semotam procul, in tutoque locatam
Andromedam, tamen explorans fera quærere pistrix
Pergit, et usque sitam validas Aquilonis ad auras
Cœrula vestigat finita in partibus Austri.
Hanc aries tegit, et squamosi corpore pisces,
Fluminis illustris tangentem corpore ripas.
Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funestum magnis cum viribus amnem;
Quem lacrimis mœstæ Phaethontis sæpe sorores
Sparserunt, letum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis sub læva cernere planta
Serpentem poteris, proceraque vincla videbis,
Quæ retinent pisces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad pistricis terga reverti.
Hic una stella nectuntur, quam jacit ex se
Pistricis spina valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ,
Inter pistricem fusæ sparsæque videntur,
Atque gubernaculum (stellæ).

Ecce ubique κῆτος pro eodem pisce; neque hic solum, sed ubicunque ejus facit mentionem. Sed et Lucianus de Andromeda narrans, eadem voce κῆτος utitur in *Dialogo Tritonis et Nereidum;* quanquam interpres male κῆτος *balænam* interpretetur, populari errore deceptus. Quare et idem maris monstrum existimo, quod Herculem absumpsisse fabulantur; de quo Lycophron in *Cassandra*, v. 31, sqq.:

Αἰ αἰ τάλαινα θηλαμὼν κεκαυμένη,
Καὶ πρόσθε μὲν πεύκῃσιν οὐλαμηφόροις
Τριεσπέρου λέοντος, ὃν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων.
Ἔμπνους δὲ δαιτρὸς ἡπάτων φλοιδούμενος,

Ἰινθῷ λέβητος, ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις,
Σμήριγγας ἐστάλαξε κωδείας πέδῳ.

Id est, ut vertit Josephus Scaliger :

Heu, heu, cremata lacrimosa patria
Primum quidem feralibus Trinoctii
Statis gigantis, ore quem quondam suo
Consi voravit campa manduces canis,
Qui vivus ustus excavator viscerum
Intra lebetis ignis expertes focos
Forma capronas verticis fudit solo.

Quem inquit Neptuni canis avidus absumpsit, ipseque intra lebetem ventris ejus quasi coctus et ustus est. Theophylactus, commentario in Jonam, idem de Hercule commemorat hisce verbis: « Evoratur ergo a ceto Jonas, tresque dies ac noctes in eo permanet vates : quæ res fidem omnem excedere audientibus videtur, maxime iis qui ex Græcorum scholis sapienteque doctrina ad hanc historiam accedunt; quos equidem non satis admirari possim, qui fiat quod hæc non intelligant cum suis ipsorum alis capiantur. Apud ipsos enim nonnihil tale de Hercule narratur, cum et ipse a ceto (interpres male posuit balænam) devoratus incolumis remanserit, nisi quod tantummodo depilatus redierit, idque ob ingenitam et internam belluæ caliditatem. Aut igitur nostra suscipiant, aut sua rejiciant; atqui cum non oporteat a græcarum fabularum putredine nostræ veritatis soliditatem commendare, cogitandum primo Deo volente et præcipiente nihil non fieri posse : deinde hic consideranda sunt quæ circa fœtum in utero materno miranda contingunt. Quod autem Lycophron hunc cetum *canem* vocet, est quod auriculas quasi canis venatici habere pingitur. Cui nomen latinum facit et Cicero in Arato, et alii, pistrix ». Aristoteli etiam dicitur πρίστης (H. Anim. l. VI, c. XII), Oppiano (Halieut. I, 370) πρῆστις; quem aiunt, qui de eo scribunt, esse longissimo sed angusto corpore, plane ut pictura refert. Quod confirmat Nonius Marcellus de genere navigiorum « Pristis, inquit, navigii genus a forma pristium marinarum, quæ longi corporis sunt sed angusti. Pilo nescitur, et animal parit ferum et vorax; quare merito κάρχαρος, Τρίτωνος κύων, Lycophroni vocatur ». Formam ejus qui volet videre adeat Cenolos

Romæ, apud quos e solido marmore est pulcherrimus cetus. In Indico mari ducenorum esse cubitorum fertur a Plinio; et Oceani potius est quam maris Mediterranei. Unde Oceani statuam solet ornare, ut non dissimile monstrum vidi in tali statua apud Farnesianos et alibi, in sarcophagis gentilium. At quæ de Perseo et Andromeda dicuntur, apud Æthiopas nigros gestane sunt? Si Ovidio credimus apud fuscos Æthiopes et nigricantes. Nam primo *de Arte*, I, 53 :

Andromedam Perseus nigris portavit ab Indis.

Indos autem pro Æthiopibus poni notum est. Virgilius de Nilo, *Georg.*, IV, 293 :

Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

Qui Nilus ab Æthiopibus defluit. Item Ovidius, *Epist.* XVI, *Heroid.* v. 35, 36 :

Candida si non sum, placuit Cepheia Perseo
Andromede, patriæ fusca colore suæ.

Verum Ovidius videtur in eo errore lapsus, quod cum Æthiopia se olim extenderit ad Syriam usque, posuerit inter fuscos Æthiopes Andromedam, quæ erat ex Æthiopia Syriæ. Cepheus enim, teste Hygino (*Poet. Astron.*, IX), Æthiopum rex fuit Syriæque imperitavit. Assyriorumque bellis attrita Æthiopia, vicissim imperitando serviendoque clara et potens etiam usque ad bella Trojana permansit, Memnone regnante. Strabo etiam, lib. I, c. 43 : ***Sunt etiam qui Æthiopiam in nostram Phœnicem traducunt, et res de Andromede gestas in Joppe contigisse aiunt;*** quod et alii testantur. Plinius, H. N. l. V, c. XIV : ***Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt, insidet collem præjacente saxo in quo vinculorum Andromedæ vestigium ostendunt.*** Eodem modo Solinus. Josephus, lib. III, c. IX, 3, ***de Bello judaico,*** cum prius egisset de Joppe, ait : ***Ubi etiam nunc Andromedæ catenarum signis stantibus, fabulæ veteris fides ostenditur.*** Hegesippus (1) de Joppe excidio (l. III, c. XX) : ***Unde etiam An-***

(1) Auctor est S. Ambrosius, v. Gallandi, t. VII, proleg. p. XXIX.

dromedem illic fuisse, cum ceto objiceretur. Plinius IX, 4, 3: « Belluæ cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ asportata ex oppido Judææ Joppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus : longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali ». Quare et errat Laurentius Valla, qui, Ovidii auctoritatem secutus, B. Hieronymum reprehendit asserentem ex Joppe Judææ portu Andromedam a Perseo liberatam.

Sacra Scriptura etiam agnoscit Æthiopiam vicinam Palæstinæ. Nam et Madianitæ olim dicebantur Æthiopes, Numerorum XII. Unde in cantico Habacuc : *Vidi tentorium Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Ubi autem Jonas ab eo ceto fuerit absumptus, non ita clarum, nec Scriptura dicit. Solvebat ex Joppe ut navigaret Tharsis, quem locum Josephus existimat fuisse Tarsum Ciciliæ urbem, ut de eo refert Hieronymus epistola CXXXIII ad Marcellum : « Vehementer, inquit, miratus sum virum eloquentem, præter ineptias sensuum ceterorum, Tharsis urbem, putasse Tarsum, in qua Paulus apostolus natus sit, et aurum Ophaz, Petrum significare, quia Cephas in evangelio idem Petrus sit appellatus. Habuerat utique et in Ezechiele idipsum verbum, ubi de quatuor animalibus scribitur : *Et species rotarum sicut species Tharsis,* et in Daniele de Domino, X, 6 : *Et corpus ejusdem ut Tharsis.* Quod Aquila chrysolithum, Symmachus hyacinthum interpretantur. Et in psalmo XLVII, 8 : *In spiritu violento conteres naves Tharsis;* et inter lapides qui in ornatu sacerdotis, tribuum nominibus sculpti sunt, ejusdem lapidis nomen inseritur, et omnis fere Scriptura hoc vocabulo referta est. » Et post pauca : « Quæris si *Tharsis* lapis chrysolithus sit, aut hyacinthus, ut diversi interpretes volunt, ad cujus coloris similitudinem Dei species scribatur ; quare Jonas propheta Tharsis ire velle dicatur ; et Salomon et Josaphat, in *Regnorum* libris, naves habuerint quæ de Tharsis solitæ sint exercere commercia. Ad quod facilis est responsio, ὁμώνυμον esse vocabulum : quod et Indiæ regio ita appelletur, et ipsum mare, quia cæruleum sit et sæpe solis radiis repercussum, colorem lapidum supradictorum trahat et a colore nomen acceperit ; licet Josephus, T pro Θ litera mutata, Græcos putet Tarsum appellare pro Tharsis. Innumerabilia sunt quæ in illius mihi commentariis sordere

visa sunt. » In Jonam commentario eadem habet, et tandem subjungit : « Non igitur propheta ad certum fugere cupiebat locum, sed mare ingrediens, quocumque pergere festinabat; et magis hoc convenit fugitivo et timido, non locum fugæ otiose fugere, sed primam occasionem arripere navigandi ». Quanquam idem Hieronymus Tharsis Carthaginem posse intelligi dicit, in Esaiæ cap. XXIII : « Ex quibus omnibus discimus, inquit, pondus iræ Dei super Tyrum venisse meretricem, quæ hic sub specie scorti, in Ezechiele sub navis translatione, describitur. *Ululate*, inquit, *naves maris*, pro quo in LXX legimus Καρχηδόνος id est Carthaginis; et habetur תרשיש de quo et in Jona propheta, et quadam epistola disputavi. Posuimus autem, quia Carthago Tyriorum colonia est, in præsenti loco Tharsis, non mare generaliter, sed et et Carthaginem accipere : quod nequaquam de Africa naves Tyrum veniant, nec de terra Cethim, quam Cyprum quidam interpretantur. Usque hodie enim est apud eos urbs Citium : de qua et Zeno, stoicæ sectæ hæresiarches, fuit. Quanquam plerique nostrorum, et maxime Machabæorum principum, Cethim Italiæ Macedoniæque insulas arbitrentur; hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander rex Macedonum egressus sit de terra Cethim. Insulam quoque nominans non mentitur : postea enim a Nabuchodonosor, vel Alexandro, terræ continens facta est propter expugnationem, multis in brevi freto aggeribus comportatis. Negotiationem quoque Sidonis appellat juxta sequentem versiculum, in quo ait : *Erubesce, Sidon*. Tradunt enim historiæ quod Tyrus colonia Sidonis sit. Quod si ita est ut Carthago possit pro Tharsis accipi, apte congrueret cum eo quod aliqui scribunt locum in quo ejectus est Jonas, ad littus esse Mauritaniæ Tingitanæ Carthaginem versus. Quanquam Josephus, *Antiq. judaic.*, l. IX, qui Tharsis existimat Tarsum Ciliciæ urbem, Jonam a ceto revomitum ait ad Euxinum Pontum : a quo non longe distat Troja, prope quam contigerunt illa quæ narrantur a poetis de Hesiona ceto exposita, qui post, Herculem absorpsit revomuitque vivum ut supra monuimus. Quæ fabulæ forte originem e sacra Scriptura sumpserunt ». Quem cetum, properantem ad Hesionam, suis depingit coloribus Philostratus in imaginibus.

Quidquid sit, ad littus maris Mediterranei, aut influentis in id alterius cujusdam minoris, ejectus Jonas mihi videtur. Et licet

Indici, Persici et Æthiopici maris potius sit hic piscis incola, Tharsisque aliquando Indiam significet; tamen propius vero est ut nutu Dei piscis ille mare Mediterraneum ingressus, et ad excipiendum Jonam immissus sit. Marianus Victorius in indice confecto ad opera S. Hieronymi a se illustrata, in voce *Jonas* ita sententiam suam de hac re ponit : « Non est autem verum quod multi putant, cetum usque ad ipsam urbem Ninivem prophetam in utero detulisse. Sic enim per Mediterranea freta usque ad Gades, indeque per Oceanum et Persicum mare, quo se Tigris, qui Ninivem alluit, demergit, longissima; et non trium, sed multorum dierum spatio eum detulisset. Quod quidem, nisi miraculo adscriberemus, esse non posset. Sed evomuit eum piscis in aridum, illis in oris unde ipse fugerat; indeque pedestri itinere, sicut prius illi fuerat imperatum, ad Ninivem perrexit. Hoc autem satis ipsa Scriptura explicare videtur, dum ait : *Dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridum. Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens : Surge et vade in Ninivem civitatem magnam.* Sunt enim eadem prorsus verba quibuscum a principio, ut eo pergeret, compellaverat. »

Non ergo cetus ille balæna fuit (ut qui hodie gallice verba Evangelii vulgo exponunt, ubique balænam pro ceto nominant); nec lamia, quod existimavit Rondeletius qui libro suo de piscibus XIII, cap. XII, ita de lamia : « Piscis est carnivorus voracissimus et anthropophagus : cadavera enim mortuorum etiam integra vorat, quod ex dissectione compertum est. Massiliæ enim et Nicææ aliquando captæ sunt lamiæ in quarum ventriculo homo loricatus inventus est. Vidi equidem in Santonico littore lamiam, cujus os gulaque tanta erant vastitate, ut hominem etiam obesum capere posset. Magnarum itaque lamiarum os si hians servetur, reliquo corpore contecto, canes ventriculum facile subeunt, piscium reliquias voraturi. Quæ cum accuratius considerarem, mihi in mentem venit lamiam fuisse, in quam ingressus Jonas, illicque triduo divina providentia conservatus, tandemque incolumis ejectus; quod sacræ bibliorum scripturæ nullomodo repugnat. Legitur enim Jonas in ventre magni piscis, sive in ventre ceti fuisse; quod nomen generis est, quo grandes pisces comprehenduntur : non omnes quidem, si Aristotelis auctoritatem sequimur; sed ii tantum qui animal concipiunt, et non ex ovo perfectum pariunt.

Sic enim scribit (1) : Καὶ τὰ μὲν ζωοτόκα, τὰ δὲ ᾠοτόκα, τὰ δὲ σκωληκοτόκα· ζωοτόκα μὲν οἷον ἄνθρωπος καὶ ἵππος, καὶ φώκη, κενύδρων ὅσα ἔχει τρίχας καὶ τῶν κηλώδη, οἷον δέλφις καὶ τὰ καλούμενα σελάχη. Et alibi (2) : Μασθοὺς δ' ἔχει ὅσα ζωοτόκει, καὶ ἐν αὐτοῖς, καὶ ἔξω, καὶ ὅσα τε τρίχας ἔχει, ὥσπερ ἄνθρωπος, καὶ ἵππος, καὶ τὰ κήτη, οἷον δελφίς, καὶ φώκη, καὶ φάλαινα. Verumtamen balænis inter cete numerat canes, zygænas, thunnos magnos (3), qui non statim animal sed ovum pariunt; ut videatur pisces omnes prægrandes, cetaceos appellare. Et apud Athenæum, lib. VII, Sostratus, thunnum qui permultum accrevit, cetum vocat. Eadem significatione cete usurparunt Paulus Ægineta et Varro. Quidquid sit, ceti nomine non potius balæna quam quivis alius immanis piscis intelligetur; maxime cum balæna pulmonibus spiret, quibus, asperæque arteriæ, cum cedant ventriculus gulaque angustiores eas partes esse necesse est id quod etiam ex dissectione constat. Harum vero partium in lamia ea est vastitas, ut Jonam capere potuerit, quemadmodum cadavera tota in ea inventa fuisse experientia compertum est ». Ita Rondeletius; atque hæc de pictura Jonæ sufficiant quæ diximus.

(1) Lib. I, *De hist. animal.*, cap. v.

(2) Lib. III, *De hist. animal.*, cap. xx.

(3) *De fac. aliment.*



APPENDIX

DE SARCOPHAGIS GENTILIUM

QUID QUOVE SENSU HABEANT INSCULPTUM

Cum supra dixerimus quibus in civitate Dei vasis cives illius civitatis usi sunt in reponendis dormientium corporibus : nempe vel loco excavato pro spatio vasis; vel vase vero, scilicet arca lapidea, fictili, vel quibus erant facultates e vivo lapide, et frequentius marmoreo ; deinde quibus in arca frontem historiis et sculptis rebus exornabant, et quis sculptarum rerum sensus erat et mysterium ; operæ pretium videor facturus, si ex adverso opponam, quibus etiam vasis cives civitatis diaboli, nempe gentiles, usi sunt et quid insculpebant fronti vasorum. Fuit autem vel Plinio teste, ut brevi id perstringam, uterque mos in usu : et urendi corpora, et integra reponendi intra arcam. Verba ejus sunt : « Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutus. Et tamen multæ familiæ priscos servare ritus. Sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus; idque voluisse veritum talionem, eruto C. Marii cadavere. » Quanquam ubi christiana religio invaluit, arcarum lapidearum, quos *sarcophagos* vocabant, ma-

jor fuit apud gentiles usus; quod cives illius iniquæ civitatis vellent imitari cives alterius sanctæ. Et quidem cum urebant corpora, cineres et ossa lecta condebant intra ollas, urnas, cippos, arculas, et ejusmodi vasa brevia et exigui spatii. Vidi illa omnia genera, et in ollis præsertim adhuc cineres repositos alibi tetigi. Ubi corpus integrum servabant, arca seu fictili (est inscriptio quæ mentionem facit, et forte tenuiorum erat) seu lapidea reponebant, quas e terra erutas magnificentissimas Romæ videre est passim in domibus, non unius semper formæ.

At quid insculpebant fronti? Hæc res eget partitione. Id nempe, quod vel ætatem, vel sexum, vel conditionem et professionem personæ indicabat. De ætate, sic cogita. Si puer erat intra pubertatem, ludos circenses cum Cupidinibus parvis affingebant; quod ætas illa lusibus delectetur, et adhuc ita tenera sit, ut egregie amorculis exprimatur. Et longitudo et latitudo areæ facile indicat fuisse ejus ætatis qui reponebatur in ea. Appingebantur et lusus pueriles : ut in hortis ad templum Pacis, est parvus sarcophagus, habens lusus trochi ; et in hortis carpensibus, alius in quo lusus athletici pueris aptati. De sexu femineo, sed cum ætatis notatione, sunt illi sarcophagi qui habent Nereides quas amplectuntur Tritones; aut ubicumque juvenculæ et puellæ apponuntur. Volebant enim intelligi nobilem aliquam, quam proci ambirent. Et forte ubi puerperæ aut feminæ lecto incumbentes sculptæ videntur, erit alicujus in puerperio mortuæ. Quemadmodum et ubi desponsari cernis aliquam, erit ejus quæ sponsa facta mox diem

obierit. Desponsantium autem se ritu illo antiquo imagines, dignæ aspectu. Ad professionem pertinent illi sarcophagi, qui habent circumquaque musas. Significant enim illic reconditum virum ingenuis artibus eruditum. Qui habent labores Herculis, virum variis aut militiæ aut reipublicæ negotiis arduis addictum ad salutem civium et populorum, quem ejusdem cum Hercule nominis parandi tangat amor. Qui pugnas habent et captivos supplicantes, ad duces provinciarum attinent; qui pugnas Amazonum, ad eos qui belli gloriam quærunt. Qui egressum aliquem e porta, magno comitatu, aliquem missum ad legationem vel regendam provinciam ostendunt. Qui sedentem habent præsente uxore, filiis et libertis, egregium patremfamilias qui primus forte claritatem intulit in domum illam denotant; et ita fingitur quasi adhortetur suos, ut monitis pareant, et ejus virtutum sequantur vestigia.

Quod si neque ad ætatem, sexum, conditionem et statum personæ respiciunt, tunc fere sarcophagi ad hujus vitæ labilis et caducæ naturam vel mortis significationem se accommodant; quanquam uno verbo dici possit ad mortis expressionem. Videas enim ubi larvæ frequentes in angulis sarcophagi : quæ quid aliud sibi volunt, quam vitam hanc larvatam esse, et nihil aliud agere quam comœdiam? Augustus moriens amicos admissos percunctatus est, inquit Suetonius in ejus Vita, numquid videretur mimum vitæ commode peregisse? Illi autem somni Endymionis tam frequenter insculpti, quo referantur alio quam ad mortis naturam quæ quidam somnus? Illæ noctis etiam imagines, annon etiam mortem noctem esse quandam

volunt? Sed omnium frequentissime, mors ut raptus, oculis repræsentatur. Nam raptus ille Proserpinæ sculptus, quid aliud cogitandum dat (1)? Adde ubi Adonis a Venere defletur. Ereptus enim ei fuit subito dente apri. Ubi venatio Calydonii apri, aut alterius feræ : ut videre est, leonis; ille aper et leo, seu alia fera, mors erit quæ omnia rapit et vastat. Nec aliter interpretor illum leonem quem frequenter cernimus in lateralibus sarcophagorum, cum ea sunt incurva et inflexa, nec ad angulos rectos, ut aiunt, diducta; cui leoni hinnulum aut aliquod animal simile discerpenti, adstat vir quasi venator cum cornu, quem hominem esse dico qui a principio nativitatis semper pergit ad mortem et quasi eam propellit. Illa autem velut leo omnia discerpit et dentibus suis diripit.

Sed hunc mortis raptum variis aliis fabulis adumbrabant. Nam et Cacus cernitur trahens boves Herculis cauda in sylvam; Raptus Penthesileæ a Theseo abductæ, raptus Ganymedis. Nec alio credo spectant cædes illæ frequenter insculptæ, ubi mulieres accinctæ cum tædis et serpentibus apponuntur (2), lugentibus quibusdam; seu viris pugnantibus, mulieres quasi perterritæ et tremebundæ; seu alibi mulieres fugiunt, cum *vase et serpente* (quorum fabulas non attingo (3)) et si

(1) Raptus Proserpinæ in sepulcralibus significat mortem immaturam potissimum. V. quæ disserui in dissert. *les Mystères du Syncrétisme phrygien*, Paris, 1854, p. 19 sqq.

(2) In monumentis etruscis Furiæ sunt, quæ intersunt pugnæ heroum; itemque aliquando in sarcophagis romanis et græcis.

(3) Bacchantes mulieres intellige, quibus vel significare volunt fatum hominibus ineluctabile, vel bona mystis Cereris et Bacchi promissa in memoriam revocant.

quid ejusmodi, quod repentinum motum et cladem et abductionem figurat : quæ omnia mortis quam proximam faciem exprimunt et adventum inexspectatum. Sed quo ulterius fine hæc tam diligenter insculpebant? An ut commonefacerent homines ad recte vitam instituendam, ad mores virtutibus informandos? Non arbitror. Sed potius hisce imaginibus et figuris volebant admonitos, ut in bonis ducerent dies suos; et vita quam brevi sibi direptam iri hisce involucris fabularum et signorum discebant, uterentur, fruerentur; nec quidquid genio collibnisset omitterent : oblectamenta sequerentur et lusus. Atque adeo, ut uno verbo dicam, hanc volebant mortales ratiocinationem menti impressam habere : mors raptus est, ergo vita fruendum (1). Cujus enthymematis modo priorem partem illam suis fabularum integumentis exprimebant, modo posteriorem; et hanc quidem, silenorum, Bacchorum, bacchantiumque variis imaginibus et fabellis; et nunc Bacchum solum nudum cum thyrso, sæpe adstante satyro cui innitatur præ nimia mollitie; nunc ludentibus hinc inde circum Bacchum satyris; nunc Bacchi amores, triumphum ex India, nunc lusum bacchantium mulierum, nunc obscæna Bacchi festa, et si quid ejus generis proponunt; nec omittunt alibi Priapi turpe simulacrum et sacrificium, ponunt geniales accubitus et thoros, et mensas epulis plenas, adstantibus nonnunquam iis qui oblectent accumbentes cantu et instrumentis musicis. Porro Psyches et Cupidinis amplexus toties insculptus, quam aliam ha-

(1) Dixi in diss., *les Mystères du Syncrét. phrygien*, p. 20.

buerit significationem, quam amoribus et libidinibus indulgendum (1)? Nec potuerunt gentiles illi dissimulare quid vellent illis figuris propositum. Quin et verba subjecerunt interdum, quibus quod habebant animo, signisque suarum imaginum volebant significatum, clarius testarentur. Est enim in uno sarcophago non invenusto ad valetudinarium S. Joannis Lateranensis, quem ornant accubitus et canentes, Græcus senarius adsculptus : ΓΛΥΚΥΣ ΒΙΟΣ, ΗΔΥ ΤΟ ΖΗΝ, ΤΟ ΘΑΝΕΙΝ ΥΠΟΨΙΑ, id est *dulcis vita*, *suave est vivere*, *mors est suspicio*. Quasi dicat *nihil;* non autem, ut interpretatur vir doctissimus, *ante oculos est*. Quamvis enim eum sensum veteres sæpe expresserint, mortem imminere, ideoque læte esse vivendum ; non tamen ea est vis nominis ὑποψία, nec usquam apud auctores ea significatione legitur, cum a verbo ὑφορᾶν proficiscatur (2), quod nihil aliud

(1) Animæ potius fata, nempe philosophicas fictiones repræsentari putant.

(2) Ὑπόψεσθαι, seu potius ὑπόπτεσθαι, unde ὑπόψομαι radix nominis ὑποψία. Macarius advocat ὑφορᾶν pro ὑπόψεσθαι ; nam ὑπόψομαι obsoletum tempora tantum sufficit verbo ὁρᾶν. Letronnius tractavit hanc inscriptionem (*Revue archéol.*, V, 360), ejusque opinionem secutus est Jo. Franzius, l. I, n. 6705. Verum Letronnius fractum lapidem supponit, quod nemo illi dabit : namque in omnibus delineationibus, ut hic in Macario, ectypus integer exhibetur. Igitur non ὑπὸ φιά[λων] cum Letronnio et Franzio, sed ὑποψία tenendum, donec aliter in marmore fuisse appareat. Sensus est : *Vita ipsa suavis est, at bonam vitam vivere, hoc dulce ; mori vero odiosum et molestum*. Ὑποψία pro ὑπόψιον ponitur, cujus etiam significationem retinet, quod nondum vidi observatum. In promptu tamen est exemplum in actis S. Thomæ, p. 69, ed. Thilo : Δεόμεθα οὖν, ὑποψίαν ἔχοντες τῶν ἁμαρτημάτων ἡμῶν.

sonat quam *suspicari.* Volebant enim dicere quantum conjicio, qui hunc versiculum ediderunt, mortem et ea quæ consequuntur nihil esse; pœnas inferorum et judices illos severos, Rhadamantum et Æacum, quæ omnia ad terriculamentum hominum esse conficta censebant Epicurei, ut Lucretius in versibus testis. Quare non esse horum metu a lætis jucundisque rebus abstinendum; nec ipsam quidem mortem terribilem haberi debere, cum celerrimo raptu nos hinc abripiat, nec quicquam ferat secum incommodi, adeo ut quæ ex ea timentur, non veritas, sed suspicio sit.

Vita autem fruendum, ejusque oblectamentis, contemplatione mortis incertæ, passim suos adhortantur; atque inter ceteros Horatius lib. I, *ode* IV, 13 seqq. :

> Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam :
> Jam te premet nox, fabulæque manes,
> Et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
> Nec regna vini sortiere talis.

Ante dixerat, v. 9 :

> Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
> Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

Idem, liv. II, *ode* III, v. 13 seqq. :

> Huc vina et unguenta, et nimium breves
> Flores amœnæ ferre jube rosæ;
> Dum res, et ætas, et sororum
> Fila trium patiuntur atra.

Nam et post ea v. 25 sqq. ait :

> Omnes eodem cogimur : omnium
> Versatur urna, serius ocius
> Sors exitura, et nos in æternum
> Exsilium impositura cymbæ.

Et lib. IV, *ode* VII, v. 7 sqq. :

> Immortalia ne speres monet annus, et almum
> Quæ rapit hora diem.

Post nonnulla, v. 14 sqq. :

> Nos ubi decidimus,
> Quo pius Æneas, quo Tullus dives, et Ancus,
> Pulvis et umbra sumus.
> Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina vitæ
> Tempora Di superi?

Et *Epodon* ode XIII, v. 4 sqq. :

> Rapiamus amici
> Occasionem de die :
> Dumque virent genua,
> Et decet; obducta solvatur fronte senectus!
> Tu vina Torquato move
> Consule pressa meo.

Quin et liber Sapientiæ commemorat eadem dicentes cum gentilibus : « Umbræ enim, inquiunt, transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, et nemo revertitur; venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt. Utamur creatura tanquam in juventute celeriter : vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. » Quam ejusmodi impiorum sententiam, et gentilium voces, paucis verbis Apostolus perstrinxit, epistola I ad Corinthios XV, 32; ubi cum hæc præmisisset : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores*

sumus omnibus hominibus; post quædam subdit : *Si secundum hominem* (1), *ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur.* En argumentatio gentilium.

En quidquid sarcophagorum, quos illi sibi ponebant, maxima pars in sculptis imaginibus expressum ostendebat. *Cras moriemur*, en raptus; *Manducemus et bibamus*, en accubitus et ceteræ voluptatum illecebræ ; *Cras moriemur*, en resurgendi spes nulla; *Manducemus*, en de præsenti vita tantum cogitatio. Quare sarcophagi gentilium nihil aliud fere continent, quam apertam nullius resurrectionis professionem. Christianorum autem, quot figuris et historiis ornantur, tot quasi vocibus clamant : Resurgendum est, adstandum tribunali, altera vita exspectanda (2). Nil mirum ergo, cum dæmoniacæ civitatis, alia etiam arcis suis sepulcralibus insculperent. Atqui non dissimilia suis gemmis signatoriis insculpebant; ut dum eas annulis inclusas, continuo digitis gererent, semper haberent ob oculos earum rerum species, quarum desiderio flagrabant : illecebrarum et voluptatum; atque ea semper meminissent, quæ ad eas instigarent et accenderent.

(1) Κατὰ ἀνθρώπων voluit Scaliger, contra codices, qui habent constanter ἄνθρωπον. Verbum θηριομαχεῖν habet sensum translatum a spectaculis amphitheatralibus ad pugnas contra feroces homines. S. Ignatius eadem significatione hoc verbo usus est, quod Suicerus in lexico notare omisit s. v. θηρίον, ubi tamen ex Theophylacto recitat hanc interpretationem in I Cor. xv, 32 : Θηριομαχίαν καλεῖ τὴν πρὸς Ἰουδαίους, καὶ Δημήτριον τὸν ἀργυροκόπον, μάχην.

(2) Vide quæ monui in adnotatione ad p. 126.

Argumento erit Neronis Sporus de quo Suetonius refert in Nerone, c. 46 : *Auspicanti (Neroni) annulum muneri dedit, cujus gemmæ sculptura erat raptus Proserpinæ.* Nec alia, credo, mente et fine quam qua in arcis sepulcralibus affingebatur : ut dum recordaretur qui eum gestaret, brevem esse ex hac vita raptum, nulla cessatione persequeretur ea quæ animo collibita essent et opportuna. Nec minus Christiani, dum alium finem sectarentur, etiam gemmis impressa volebant eadem quæ arcis dormientium in Christo, ut retuli in Hagioglyptis visam a me gemmam Christo Lazarum excitante insignitam, quo nihil frequentius in sepulcralibus arcis; ut nempe semper in annulo repræsentatam sibi haberet, animoque recurreret, ad eam spem omnia in vita dirigenda, quam in sepulcris testarentur.

Atque hæc in genere, breviter et summatim de sculpturis quæ in gentilium visuntur sarcophagis, ut magis clarescerent ipsæ Christianorum, de quibus susceperamus inter alia tractandi laborem.




INTERPRETATIO

DIAGRAMMATUM

QUÆ IN HOC OPERE EXHIBENTUR.




A
ω

INTERPRETATIO

DIAGRAMMATUM

QUÆ IN HOC OPERE EXHIBENTUR.

P. I. In fronte operis gemma comitis de l'Escalopier, nunc in museo Vaticano, ex dono ejus, exhibet I☧ΘΥC. Secundum elementum acrostichidis, X, determinatur hic inserto P. Sic et in alia gemma (cf. pag. 163) ☧ΘΥC; nisi quod, si integra est, illud monogramma supplere debebit defectum litteræ I. Hoc studium aliquando priscis Christianis fuit, ut in inscriptionibus suis litteræ X insererent I(v. de Longperier, *Athén. fr. Bull. arch.*, 1855, p. 34; cf. Boldetti, p. 337), vel P transversa linea notarent (Boldetti, p. 443). Aliquando P in monogrammate ☧, valet ad repræsentandam etiam P latinam litteram; velut in vocabulo SPES apud Boldetti, p. 443.

P. V. Johannem Macarium placuit honorare hac gemma anulari, quæ nomen simile refert; IOHANNES VIVAS IN ✠ (Christo). Crux, quæ supra inscriptionem sculpta cernitur, supplere videtur vocem *Christo*. Alibi monogramma cernere est, ut in vase argenteo æclanensi, nuper illato in Museum Bibliothecæ imperialis parisiensis : QVINTA VIVAS IN☧; et alibi in lapidibus.

P. XII. Picturam hanc ex Bottario delineatam dedi (*Roma Sotterranea*, tab. CLVIII). Bottarius putavit hic repræsentari tur-

bam a Domino refectam multiplicatis miraculo panibus et piscibus : genu vero positam exhiberi, veluti in gratiarum actionem. De hac pictura nuper dixi (*Civiltà cattolica*, 1856, giugno); pisces positi videntur ad ἰχθὺν designandum ; panes in cistis aperte ad sacram cœnam alludunt. Septem fideles genu flexo, et veste induti ad mysterium propria, vario gestu melleam cibi cælestis suavitatem significare videntur. De vestibus in sacros usus adhibitis disputavit docte Philippus Buonarottius. Hieronymus etiam quisquis ille est, sive Hierosolymitanus, sive alius, in *Philoponia* (p. 158, ed. Carpzov.), memorat Ἀλλαγὴν τῶν ἱματίων, ut suis temporibus consuetam in adeundis ecclesiis; et Stridonensis Hieronymus *ad Heliodorum* de Nepotiano, ejus verbis hæc scripsit : *Apprehensa avunculi manu, hanc, inquit, tunicam, qua utebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi.*


P. 1. Pastor bonus ovem humeris gestat, ad latus dextrum alia ovis assultat, infra piscis, litteræ ΙΧΘΥС sparsæ in area gemmulæ, arbor. Edita est primum Florentiæ, *Novelle letterarie*, 1755, p. 596; et explicatione non indiget.

P. 6. Edidit Bosius, p. 336, ed. Severani, 1650. Bonus pastor ovem humeris fert; circa sunt uvæ racemi, sive botryones, positi.

P. 7. Buonarotti, *Medaglioni*, p. 396. Inscriptio est IHCVC. Dominus ad temonem sedet, in formam gubernatoris, et regit Ecclesiam, quam navis repræsentat. Apostolus Petrus rete trahit magno pisce plenum; alius apostolus, loco proretae, spectat attonitus rei miraculum. Naviculam imposuit artifex columellæ capitulo, quod acanthi folia coronant. Sine dubio elegantis alicujus supellectilis fragmentum est, auro contra pretiosum. Patres certatim compararunt Ecclesiam navi; sed ceteris anteponendus ætate et studio S. Hippolytus, de *Antichristo*, p. 29, ed. Fabric. Hamb. 1716, cui hæc verba sunt : Θάλασσά ἐστιν ὁ κόσμος ἐν ᾧ Ἐκκλησία, ὡς ναῦς ἐν πελάγει, χειμάζεται μὲν, ἀλλ' οὐκ ἀπόλλυται· ἔχει γὰρ μεθ' ἑαυτῆς τὸν ἔμπειρον κυβερνήτην Χριστόν· φέρει δὲ ἐν μέσῳ καὶ τὸ τρόπαιον τὸ κατὰ τοῦ θανάτου, ὡς τὸν σταυρὸν τοῦ Κυρίου μεθ' ἑαυτῆς βαστάζουσα. Ἔστι γὰρ αὐτῆς μὲν πρώρα ἡ ἀνατολὴ, πρύμνα δὲ ἡ δύσις, τὸ δὲ κύτος (ita pro κύκλον emendat Combefis.) μεσημβρία, οἴακες δὲ αἱ δύο διαθῆκαι, σχοινία δὲ περιτεταμένα ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ σφίγγουσα τὴν Ἐκκλησίαν· λίνον (ita pro πλοῖον emendat Combefis) δὲ ὃ φέρει μεθ'

ἑαυτῆς, τὸ λοῦτρον τῆς παλιγγενεσίας ἀνακνεούσης τοὺς πιστεύοντας, ὅθεν δὴ ταῦτα λαμπρά· πάρεστιν δὲ πνεῦμα, τὸ ἀπ' οὐρανῶν δι' οὗ σφραγίζονται οἱ πιστεύοντες τῷ Θεῷ. Παρέπονται δὲ αὐτῇ καὶ ἄγκυραι σιδηραῖ, αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ αἱ ἅγιαι ἐντολαί, δυναταὶ οὖσαι ὡς σίδηρος· ἔχει δὲ καὶ ναύτας δεξιοὺς καὶ εὐωνύμους, ὡς ἁγίους ἀγγέλους παρέδρους, δι' ὧν ἀεὶ κρατεῖται καὶ φρουρεῖται ἡ Ἐκκλησία· κλίμαξ ἐν αὐτῇ εἰς ὕψος ἀνάγουσα ἐπὶ τὸ κέρας, εἰκὼν σημείου πάθους Χριστοῦ ἕλκουσα τοὺς πιστοὺς εἰς ἀνάβασιν οὐρανῶν· ψηφαροὶ δὲ ἐπὶ τὸ κέρας ἐφ' ὑψηλοῦ αἰνούμενοι, τάξις προφητῶν, μαρτύρων τε καὶ ἀποστόλων, εἰς βασιλείαν Χριστοῦ ἀναπαυομένων. Hæc descripta ex Hippolyto, clara sunt et illustrant monumenta christianæ ætatis primæ, in quibus certe principem locum tenent adhuc gemmæ duæ quas hic exhibeo. In prima, pro nomine IHCOYC qui legitur in ebore de quo loquor, et in aversa parte gemmæ secundo loco hic positæ, piscis magnus est, nempe





ἰχθύς; exhibetque 'IHCοῦν et ΠΕΤρον ab eo firmatum super maris fluctibus. Navis puppi insidet avis, quæ Spiritum Sanctum Ecclesiæ a Christo Deo missum significare videtur. Alia avis est in mali carchesio, quo ascendere nautæ solent ad ventos et portus explorandos. Hæc prophetas et martyres et apostolos designat : isti enim sunt super antennam in summa parte mali posita signa (ψηφαροί), qui quam viam tenere debeamus monent ut in Christi regnum cæleste appellamus, ubi ipsi quiescunt. Combefisius volebat olim discere quid istud ψηφαρός in re nautica ab Hippolyto descriptus, ita antennæ impositus illique imminens ac quasi supervolitans, quique sanctos in Christi regno quiescentes, symbolo repræsentaret. Hoc vero quod in monumentis antiquis nondum

vidisse me memini, præstant hæ duæ gemmæ, quibus addere oportet picturam in vitro (Perret, *Catac.* IV, XXIX, 76). In prima enim avis, in secunda vero et in tertia signum seu ψηφαρός est sculptum. Primam gemmam edidit Aringhius *R. subt.*, V, c. IX (p. 244, ed. Paris.), unde expressit Perret, *Catac.*, IV, XVI; secundam dedit Stephanus Borgia in fronte operis *de Cruce veliterna.*

P. 17. Ex sarcophago arelatensi qui exstat in ecclesia S. Trophimi Arelate, cujus diagramma confecit P. Arthurus Martin. Christus sedet in cathedra, pallio involutus, pede sinistro scabello insistens, docentis habitu. Capiti monogramma Christi non ita antiquum, nempe ex + et P constans, impositum cernitur; ipse Petrum alloquitur dextræ digitis duobus in iotam erectis, dum volumen evolutum porrigit Paulo crucem ferenti, vasoque electissimo, nomen ejus et legem ferendam tradens, quod alibi scriptum in ipso volumine legitur verbis his : DOMINVS LEGEM DAT.

P. 24. Imago picta S. Gregorium Magnum exhibet. Editur hic ex Papebrockio (*Propyl. Mai*, pag. 88); explicationem dedit Macarius, p. 23, et 26.

P. 28. Ciampinus in *Vet. Monim.*, tab. LXVI, p. 227, delineatam exhibuit; citat Buonarottius in *Vetri antichi*, p. 68 et p. 79, ubi monet stolam, qua Laurentius indutus apparet, fuisse diaconis datam, antequam dalmaticæ aut colobii usus obtineret.

P. 36. Delineata seu potius lineis circumscripta in tabula marmorea, ad S. Maximini, in crypta S. Mariæ Magdalenæ. Diagramma fecit P. Arthurus Martin. Exhibet marmor Mariam Virginem *ministram de templo Hierusalem*, indutam dalmatica, crinibus resolutis, et manibus ad preces expansis. MINESTER exemplum habet proximum in lucerna puteolana : MENESTER VA (edidit Minervini in *Bull. Napol.*, a. II, 140). Hic male *minester* positum est pro *ministra;* TEMPULI pro TEMPLI, exemplo unico in lapide Musei borbonici (ita etiam Momms. in *Inscr. Neap. lat.*, n. 2475).

P. 37. Bottari, tab. CLIII; cf. Perret, *Catac.*, II, pl. VI.

P. 40. Buonarotti (*Vetri*, t. VI, 1) edidit quidem, sed rectam interpretationem non est assecutus. In notis ego explicavi pæne integrum (v. p. 132, 147, 148) : ceterum tractabo iterum in *Vitreis antiquorum præsertim christianorum picturis,* quod opus edendum suscepi, et præstabo quam primum. Moneo interim me

vocabuli reliquias... INVS (quas Buonarottius supplendas censet : GEMINVS, SABINVS, GABINVS, aliove quo nomine his similí) supplevisse : DomINVS, subintellectis nempe duabus vocibus LEGEM DAT. Hæc enim tria verba leguntur in volumine vel in libro quem apertum tenet in manu sinistra Christus Dominus, dum sedet in medio discipulorum, ut in sarcophago Arelatensi delineato a P. Arthuro Martin. Eadem epigraphe legitur in lamina ærea ad modum tituli suspensa, in lucerna christiana sæpe edita et recentissime a Perret, accuratius, post Misc. arch. (*Mélang. d'archéol.*, t. III, p. 14, sq.) : DOMINVS LEGEM DAT. Tandem in musivo ædis S. Constantiæ Romæ a Ciampinio invulgato, *Vet. Monim.*, t. I, p. 131, legit editor : DOMINVS PACEM DAT (LEGEM pro PACEM, puto). Figura Pauli crucem ferentis, vultu imberbi fuisse credo, quo eum juniorem Petro significarunt aliquando, ut in sarcophago massiliensi, quem delineatum a P. Arthuro Martin habeo apud me.

P. 46. Edidit hanc lucernam bilychnem de Lasteyrie, *Mém. des Antiquair. de France*, t. XXII, pl. V, integram. Ego delineandam curavi eam partem tantum, quæ mihi satis erat. Explicationem dedi in nota subjecta.

P. 58. Ad specimen picturarum, de quibus in capite secundo tractat Macarius, unam hanc exhibui (Bottari, t. CXLVIII). In medio picturæ christiana femina, quæ in arcosolio subjecto olim sepulta est, figuratur orans, manibus expansis; induiturque dalmatica distincta duabus virgulis. Adstat columba, vel avis, alis semiapertis gestiens, videturque animam defunctæ repræsentare quæ audiat sponsi cælestis vocantis ad se voces suavissimas, SI AMAS, VENI; VENI, SI AMAS, ut hic in christiano sigillo sculptum legimus. Locus est in *Canticis* simile : ἐλθὲ ἡ περιστερά μου, II, 10, 13. Ad feminæ istius dexteram



figurantur quinque virgines prudentes : ex quibus prima, manu facem ardentem præfert (flamma in reliquarum tædis non apparet), manu sinistra singulæ tenent vasum ; dalmatica ῥαβδωτῇ, nempe distincta virgulis, induuntur omnes. In sinistra parte parietis ejusdem, quinque virgines jam convivio cælesti exceptas sisti arbitror. Toreuma pro mensa sustinet hic lances et lagonam et panes duos. Quæ sedet secunda, manum ori admovens ad dulcem cibi saporem stupet.

Hic pro lampade faces ad morem romanum artifex pinxit : quam ob rem guttum olei ferendum dedisse putandus est : fuit enim istud vas ut ampulla et lenticula, collo producto et ore angusto.

P. 75, 76. Satis, credo, significavi, quid putem de figuris piscatorem vel Tobiam exhibentibus. Prima imago ex Bottarii t. LXV, delineata est; secunda ex vitris Buonarottii expressa, t. II, n. 2; tertiam ernο emendata Bosii delineatione, qui feminam pro Tobia dederat. Aringhius inconsiderate Victoriam appellavit (l. IV, XXXVII, p. 115, ed. Paris.).

P. 107. Vide in notis quid existimem de ligneis vasibus, quorum ex summo labro flammæ micant, nempe in delineationibus Bosii et ceterorum qui a Bosio pendent. Nam vasa ipsa ærea figurari aliquando flammas vomentia, negare absens non possum, nec affirmare tutum judico.

P. 110. Hujus sculpturæ, quæ piscatorem repræsentat, partem hic exhibeo dextram; at pag. 113 sinistram, in qua idem piscator sportulam suam eidem pucro tradit quem nudum hic latere dextro et arundinem piscatoriam sustinentem vides, ne magnæ prædæ pondere canna frangatur. Pisces ad hamum assiliunt, unusque jam hamo captus extrahitur. Adstat avis ibis, pisciculorum malorum venatrix in littore maris ὅπου τὰ ἀκάθαρτα ἰχθύδια σύλλζονται (Physiol. XLII, ed. Pitra, *Spic. Solesm.*, III, p. 364). Sine dubio pisces boni et electi figurantur quos *pervestigavit in aquis multis Dei misericordia* (S. August., *Confess.*, XIII, 23). Præclare enim, ut solet, S. Cyrillus Hierosolymitanus scribit (*Procatech.*, 4): Δέχομαι τὸ δέλεαρ τοῦ ἀγκίστρου... ζωγρήθητι, μὴ φύγῃς· ἀγκιστρεύει γάρ σε Ἰησοῦς, οὐχ ἵνα θανατώσῃ, ἀλλ' ἵνα θανατώσας ζωοποιήσῃ. Hostem vero monet esse qui insidietur, quibus si obsecundet, ab iis comedetur, et fiet *esca volatilibus* immundis. Latere sinistro pisces boni et electi in sportella a gestiente piscatore; Domino exhibentur.

P. 111. Edidit Vallarsius in opp. S. Hieronymi, I, 18.

P. 113. Costadonius dat in tab. II, 17. In secunda, acrostichis est ΙΧΘΥCΩΤΗΡ : in qua nempe ultima litera explicatur, reliquæ non item.

P. 114. Sarcophagi massiliensis mediam figuram a P. Arthuro Martin delineatam exhibeo ad specimen sarcophagorum. Sistitur

in clypeo στηθάριον sive protome clypeata defuncti, christiani hominis. Huic subjacet Jonas e pistricis alvo in litus ejectus, sub umbra cucurbitæ, manu levata supra caput, gestu quiescentis, respiciensque attento animo; meditatus interim forte futuram salvam Ninivem, et minas frustrari suas. Hac imagine resurrectio designatur, et Dei misericordia propter quam, amissam per Adamum, immortalitatem recuperavimus ex meritis Domini Nostri Jesu Christi. Ad sarcophagi dextram, Moyses legem a Deo accipit; ad sinistram, idem, rupe percussa, populi sitim levat fonte manante.

P. 147. Ex pictura a Bottario edita, t. LXVIII. Hic mulctra ex pedo pastorali uncino suspensa sistitur; alibi agnus palmæ ramum portat et sinum lactis super dorsum, nimbo cinctum (Bottari, tab. CXIII). Ovis, naturam humanam Christi significat; lac, corporis substantiam sui qua fideles suos mystice nutrit. Naturam humanam Christi agno repræsentari docuerunt Patres : quos inter placet citare S. Basilium Seleuciensem, qui ita Patrem Deum inducit loquentem (Or. V in Abraham) : Ἐμὸς μονογενὴς τὸν φορούμενον ἀμνὸν ἐπιδώσει τῷ πάθει. Item Eusebium Alexandrinum apud Theodoretum, dial. III (Opp. t. IV, p. 258, ed. Schulze, 1772) : Τὸ σῶμα ἐπὶ σταυρῷ ὑπὲρ ἡμῶν· προσήνεγκε γὰρ τὸ πρόβατον, ὅσα εἰς τὸ σῶμα αὐτῷ λογίζεται. De lacte vero nihil attinet dicere, cum ejus significatio reipsa manifestetur (V. S. Zenon. II, XLIV) (1).

Quamobrem his duobus in locis Eucharistia repræsentatur in symbolo lactis. Hoc probe sciebant prisci fideles : quocirca, S. Perpetua in visione, se ad cælestem domum vocari intellexit, sumpta casei particula quam pastor divinus ipsi porrigebat. Hic perverse ab hæreticis manichæis offula ex substantia lactea cœpta est pro pane adhiberi in sacra cœna. Quidam ingenio parum felici rem absurdam excogitaverunt, Perpetuam ipsam in hæresi Manichæorum fuisse : quo quidem certe abstinuissent mentem si originem symboli probe considerassent.

(1) Alio sensu lac erit doctrina religionis; in quo testimonia PP. abunde collegit Suicerus (v. γάλα; adde Augustinum Serm. CXVIII, ed. Mai, Bibl. PP. I, p. 150) : item potus, quem Deus præbet sanctis in cælo, fruitionem æternam naturæ suæ. Itaque Gregentius episcopus in disputatione adversus Herbanum Judæum, quam scripsit Palladius schol., p. 153, ed. Morel. 1583 : Οἱ βουνοὶ, ait, ῥυήσονται γάλα, ἔναρξιν θείας ἑστιάσεως.

P. 150, Boldettius dedit, p. 368.

P. 151. Delineata ex tabula, quæ exstat Brugelettæ in Hannonia. Edidit Perretus, *Cat.*, V, pl. xxxii, n. 80 *bis*, delineatione accepta a P. Arthuro Martin cujus opera etiam hic repræsentatur.

P. 154. Victorius (*Numm. ær. explicatus*, p. 92) edidit.

P. 157. Edidit Boldettius, *Oss. sopra i cimit.*, p. 503, n. 28. Duplex emblema est anchoræ et navis.

P. 157. Aringhius, *Roma subterr.*, IV, c. xviii, p. 59, ed. Paris.

P. 159. Habet Aringhius, vol. II, p. 387, ed. Paris. Quid infra monogramma inter duas aves repræsentetur, satis ex diagrammate non constat: itaque abstineo; serpentem certe eum editore non dicam.

P. 160. Crucem et monogramma in stemmate legionario a Constantino imperatore repræsentata exhibent antiqua monumenta, Romæ et in Gallia. Ex aliquo sarcophagorum vel fortasse ex Bottarii tabula xxx, expressit P. Arthurus Martin.

P. 169. Ex Aringhio, l. IV, c. vi, p. 15, ed. Paris. (cf. Bottar. tab. xciii). Mulier, mappa capiti immissa, fimbriis hinc atque illinc pendentibus figuratur, et dalmatica induta manicis solito arctioribus; apponuntur in terra lenticulæ duæ, major ex his manubrio instruitur. Manus mulieris non ad orationem erectæ, sed gestu invitantis demissæ videntur.

P. 171. Edidit Bottarius, tab. cxxxvi. Mulier penula induta.

P. 172. Bottarius, tab. cxx. Vir penula indutus.

P. 173. Bottari, tab. cxxxvi. Mulier induta colobio latielavio.

P. 174. Bottari, tab. lxxxii. Beata Virgo, amplo pallio involuta caput, gestu se ad Dei voluntatem accommodantis. Sanctus Joseph in medio est, et ad ejus sinistram puer, *qui datus est nobis*, habitu orantis, induta campagis utraque tibia, ad modum pastorum, quibus per loca senticosa sæpe iter agendum est. Quanti pretii hæc pictura sit, re ipsa manifestatur. Si qui probationes quærunt, has sciant non deesse; me tamen differre in aliud tempus, quo primas origines iconographiæ christianæ tractabo.

P. 198. *Livia Nicarus Liviæ Primitivæ sorori fecit, quæ vixit annis viginti quatuor, mensibus novem.* Infra pastor inter oves, ovem ferens; piscis, anchora. Nomina in *us* desinentia, feminini generis, græcitati alexandrinæ debentur. Sic Σαραποῦς C. I 4826, *Tesneus* in *Classis Misenensis monumentis*, n. 161 (Maffei, *Mus.*

Ver., 4777 : qui nomen virile non recte putavit); *Euphrantùs* (sic) in iisd. monum. n. 202; *Myrismus*, Maffei, *M. Ver.*, 255, 2.

P. 199. Habet Boldettius, pag. 502.

P. 201. Edidit delineatam P. Lupi, in epit. S. Severæ Martyris, p. 185; nomen latinum græcis litteris scriptum legitur *Redenppa*, hoc est, *Redempta :* prope est urceus, avis, delphin.

P. 205. Exhibui ex Bottarii tab. CLXXXIV : habet etiam Perret, *Catac.*, III, XI. Pavo *gemmis caudam stellantibus*, cælum ornatum stellis significat : quod quia orbem terræ complectitur, inde pavonem globo insistentem figurant.

P. 210. Dedi ex Bottarii tab. CLXXX. Picturæ interpretationem aliquam jam dedit Bosius, l. III, c. LXI, p. 500, ed. 1650. Medio loco picti parietis, cujus hic partem tantum exhibeo, virginem depositam in solio subjecto puto repræsentari, manibus expansis orantem et mappa fimbriata caput circumvolutam. Hoc quidem certe indicare videtur virginis mitella ab episcopo donatæ pictura, quæ ad dexteram figuræ mediæ exhibetur; hoc item demonstrat, aut ego fallor, Beatæ Virginis imago ad ejus sinistram, quam hic delineatam tibi sisto. Hanc imaginem esse matris alicujus, ad exemplum conjugii, male posuit Bottarius. Puerum Jesum nudum aliquando pictum aut sculptum monui jam in nota ad p. 37. Addo hic in pagina sequenti imaginem sculptam Beatæ Virginis cum puero, nostræ huic prorsus similem, ex sarcophago edito a Bottario, tab. LXXXII. Beata Virgo, item Episcopus et virgo, quam ille mitella donat, eadem dalmatica induuntur, quæ paragauda diloris mihi est. Episcopus etiam orario collum cingit; adstat diaconus stola





humero sinistro, veterem in morem, inducta. In virginis velo donatæ imagine suspicor historiam beatæ virginis et martyris Flaviæ Domitillæ sisti, et Sanctum Clementem Papam eum esse qui cathedræ insidens veluti consecrator virginis exhibetur.

P. 222. Ectypum annuli christiani quem dono accepi Romæ ab equite Carolo Bonichi hic exhibendum curavi. Fuit cujusdam Januarii cujus nomen acclamatur in extrema ora, IANVARI VIVAS. Hic Ecclesiam in annulo repræsentavit sub imagine columnæ. Gradus tres in triplici cuneo, ad pavimentum in quo columna firmata est, ascensum præbent. Gemmæ duodecim numerantur infixæ scapo, quæ duodecim apostolos repræsentare videntur. Capitulum columnæ ornant palmæ octo: abaco rectus insistit agnus, cujus dorso monogramma stat; nimbo agnus simul et monogramma cinguntur. Ad columnam respiciunt agni duo; totidem involant columbæ. Symbolorum mysteria luculenta sunt. Ecclesia enim est στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, I. Tim. III, 16; nec aliter, nisi per apostolos, qui duodecim petræ sunt et gemmæ totidem Ecclesiæ Christi. Unica vero columna est, sicut unus Christus est, qui unico ejus columnæ capitulo insistit palmis ornato, aggregans in unum corpus Ecclesiam ex circumcisione et Ecclesiam ex gentibus : quam utramque agni duo figurant, tum terrenam adhuc et militantem, tum sanctam et beatam, quæ ab utraque co-

lumba repræsentatur. Nec gradus tres, in cuneos totidem divisi, mysterio vacant (cf. S. Isidor. *Orig.* XV, 4, 10). Nemo enim in Ecclesiam intrat nisi per lavacrum regenerationis quod recipiebatur olim per trinam immersionem et emersionem trinam, ternaque interrogatione peracta, et responso ter dato ab iis qui baptizabantur : Credere se in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (Cyrill. Hierosol. *Catech. Mystag.* II). Columna igitur hic valet quod mons in sarcophagis et in musivis, ut patet; neque octo palmarum numerus mysterio caret : sedem enim beatam hoc numero significari passim docent Patres (V. S. Joan. Chrysostomi Hom. in Ps. VI).

P. 232. Boldetti, p. 573. Christiana femina pallio caput tecta orat; adstat avis et piscis.

P. 235. Tametsi ad Hagioglyptorum ornatum etiam, non ad solam opportunitatem in collocandis figuris spectaverim, nihilo secius tamen satagendum mihi putavi ut quæ majoris pretii essent seligerem. Eo consilio dedi picturam p. XII, quæ exhibet ritum sacræ Eucharistiæ accipiendæ et probat in præsentem Christum fidem; aliam, p. 174, in qua repræsentatur Beata Virgo, S. Joseph et puer Jesus; tum p. 210, velationem virginis christianæ; et p. 222, annuli ectypum sane egregium, qui solus affatim symbolorum præbet ad significandam Ecclesiam a Christo institutam et gubernatam.

Hæc vero interpretatus sum breviter, ea mente ut sacrarum imaginum, speciminis loco, aliquid afferens, demonstrarem in hoc antiquitatum genere tractationem adhuc reperiri nullam quæ comparari merito possit cum studiis quibus archæologiæ periti utuntur ad pagana monumenta judicanda et interpretanda. Exemplo etiam sit pictura quam hac pagina 233 repræsento. Editam certe in Bottario invenies, tab. CLXXVI, qui Annunciationem esse Beatæ Virginis ab angelo factam profiteri aperte ausus non est, quod nuntius exhiberetur ἄπτερος. Verum hæc antiquior est angelorum figurandorum ratio, eoque habitu exhibuit pictor archangelum Raphaelem in cœmeterio Thrasonis et Saturnini (Perret, *Catac.*, III, XXVI); et S. Dionysius, *De Cæl. Hier.*, c. XV, ἀνθρωπομόρφους quidem eos figurari dixit, et alatis pedibus tantum, ἐπτερωμένους τοὺς πόδας (v. schol. Pachym. ad h. l.).

P. 234. Crucem duodecim gemmis ornatam exhibeo ex Botta

rio (tab. XLIV), collata delineatione Perreti, *Catac.*, III, LII, LIII, quæ integriorem præbet. Pro duodecim gemmis quæ hanc ornant, alia crux in ecclesia S. Clementis (Casal. *De Veter. sacr. christ. rit.*, p. 7) duodecim columbas habet; quo mystico numero Apostoli potissimum significantur. De crucibus quarum ex base flores et folia germinant dixit Macarius p. 204. Acanthi folia figurantur sub cruce S. Clementis, et sub navi Ecclesiæ, quam exhibui p. 7, et interpretatus sum p. 236. Hanc plantam vero sive generis spinosi et silvestris, sive hortensis et sativi, habere puto mysterium cruci et passioni consentaneum. Avem viridem de qua Macarius (p. 145, dixit), passerem emissarium opinatus, dicerem potius referre avem acanthida, forte carduelem, quæ in spinis et carduis habitat, uno partu duodenos parit, perpetuasque cum asinis (quibus Gentes significantur, Hieronym. *Epit. Paulæ*) inimicitias gerere dicitur, spinarum flores devorantibus (cf. Plin. X, 63, 83).

Denique hic ad specimen sarcophagorum fragmentum exhibeo, quod est Arelate, ex delineatione P. Arthuri Martin. In eo figuratur primo loco ad sinistram Christus aquam in vinum convertens, secundo Susanna Ecclesiæ typus (V. S. Hippol. in Daniel. v. 7, p. 274, ed. Fabric.), tertio Christus asinæ insidens. De diagrammatis dixi paucis : neque enim plenam tractationem hic debui conficere, ubi querebatur tantum, ne interpretatione omnino carerent imagines, quæ in Macario vel in adnotationibus non explicabantur.



INDEX.

A

B

N

O

P

Q

R

S

T

V

SERIES RERUM.

ERRATA.

P. 235, linea 8, *pro* 337; *lege :* 376. — Linea 11, *pro* 443; *lege :* 336

P. 239, linea 29, *lege :* similis.

P. 240, linea 29, *lege :* Hostes... insidientur. — Linea 32, *omitte* punctum et comma.